Duæ Catecheſes,

Quarum prior ſimpliciter vocari poteſt

CATECHESIS Scripturalis Poſterior,

Brevis Catecheſis Scripturalis pro Parvulis.

Hhh. 65

In quibus præcipua Chriſtianæ Religionis capita per modum quæſtionum propoſita, reſponſis idoneis, ex ipſiſſimis Sacrarum Literarum verbis, excluſis conſequentiis commentationibuſq;, de promptis explicantur.

Primum quidem

A' JOHANNE BIDDELLO, A.M. Univerſitatis *Oxonienſis*

In eorum gratiam, qui *meri Chriſtiani* malunt audire, quàm hujus vel illius ſectæ homines; quandoquidem omnes Chriſtianorum ſectæ, quocunque nomine à ſe mutuò diſtinctæ, vel plus vel minus à ſimplicitate & veritate Sacrarum Literarum deflexerunt; Anglicè compoſitæ;

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

Sed poſtea,

Quò ab extraneis quoque legi intelligiq; poſſent, in Latinam linguam tranſlatæ

Per NATHANAELEM STUCKEY,

Anno Chriſti M DC LX IV. ætatis verò ſuæ xv.

364.09

PRÆFATIO.

Æpè admiratus & conquestus sum, nondum hactenus Catechesin ullam esse concinnatam, (quam vel unquã videre, vel de quâ audire potuerim,) unde quis vera Religionis Christianæ fundamenta, prout ea in Sacris Literis tradita sunt, addiscere quiret, cùm omnes Catecheses generatim ita hypothesibus atq; traditionibus hominum refertæ sint, ut minima earum pars sit è Verbo Dei deprompta. Postquam enim Concilia atq; Synodi Theologorum, sacros Scriptores suo in Ecclesia loco cedere jubentes, Articulos & Confessiones Fidei secundum proprii placita cerebri suiq; emolumenti causa composuerunt, Civilisq; adeo Magistratus easdem suâ Authoritate ratas fecit sancivitque, omnes deinde Catecheses

attemperatæ ad illos Articulos & Confessiones, Sacræque Literæ vel prorsùs omissæ, vel tantùm coloris causâ citatæ fuerunt, nullo inter plures in medium producto loco quicquam ad propositum faciente, quemadmodum facilè cuivis cordato, qui in manus prædictas Catecheses sumere, textusq; in iis allegatos examinare dignatus fuerit, manifestum evadet: Hoc enim si diligenter & sinè partium studio fecerit, deprehendet Sacras Literas, istasq; Catecheses, in tantum à se invicem discrepare, ut in dubium confestim vocare incepturus sit, utrùm earum Catechesium concinnatores, quicquam curaverint quid scriberent, & non solum ipsi abnuerint suâ ipsorum ratione uti, sed etiam præsumserint Lectores suos idem facturos. Quam miserandam igitur conditionem, quantum ad spiritualia, Christianorum in genere oportet esse cùm hunc in modum enutriti sint, non, ut Apostolus monet, *in disciplina & admonitione Domini*, sed in hypothesibus atq; traditionibus hominum, habentes parum aut nihil certitudinis de suæ Religionis soliditate veritateque! Quod observantes nonnulli, & veri-

veritatem ubi esset non cernentes, omnem prorsus Pietatem abjecerunt, existimantes nullum ei fundamentum, cui inædificetur, supereſſe. Cui malo ut viam in futurum obstruerem, adducendo homines, (eos nimirum, qui agnoscunt Sacram Scripturam divinæ authoritatis esse,) ad certitudinem, atq; adeo ut æquis piisq; multorum desideriis satisfacerem, qui veritatem nostræ Religionis intelligere eum in finem cupiunt, ut non solùm ipsi ædificari, verùm etiam liberos suos atq; familiam in ea possint instituere, composui pro eâ cognitione, quam mihi continuâ in Verbo Dei meditatione acquisivi, *Scripturalem Catechesin*, in quâ Lectorem ad certam præcipuarum rerum ad fidem atque praxin pertinentium cognitionem dirigo, dùm nihil in eâ ex meipso adstruo, uti alii antehaç fecerunt; sed duntaxat adduco Sacras Literas, nudas earum assertiones, quas Christiani omnes fatentur esse indubitatæ veritatis, fideliter proponendo. Quisquis igitur in hunc librum incideris, in eoque legeris res Doctrinis, quæ apud Christianorum obtinent vulgus, prorsus contrarias, (fateor enim

maximam eorum, quæ hîc proponuntur, partem taliter esse comparatam,) Cave ne temere eas damnes; id enim facere haud quaquam poteris, quin ipsam damnes Sacram Scripturam; cùm omnes omnino Responsiones per totum Catechesios corpus fideliter ex ea transcriptæ, necnon quæstionibus decenter accõmodatæ sint, quem admodùm tuipse facile animadvertere poteris, si modo textus aliquot unà cum omnibus eorum circumstantiis diligenter inspexeris. Instabis fortè, textus allegatos, talia quidem, si literam spectes, præseferre, quæ contraria sint doctrinis inter Christianos vulgò receptis; sed mysticam iis, seu figuratam oportere interprætationem imponi, atque tum doctrinas istas & textus Scripturæ satis rectè inter se congruere. Ad quod respondeo, quòd, si semel hanc nobis libertatem sumserimus, interpretationem nostram mysticam seu figuratam Scripturæ, citrà expressum in eâdem canonem, imponendi, nullam habebimus fidem solidè fundatam, sed à quolibet, qui novum sensum Scripturæ mysticum excogitaverit, aliò averti erimus continuò obnoxii, cùm nulla certa

certa de talibus, quemadmodum de literalibus ſenſibus judicandi extet norma, ſeu regula: neque ullus error, quantumvis abſurdus atq; impius, erit, quin, hâc permiſſâ nobis facultate, cum Sacris Literis conciliari queat. Omnis abominandæ Papicolarum Idololatria, omnes ſuperſtitioſæ *Turcarum* ſtoliditates, omnes licentioſæ eorum, qui *Ranters* Anglis vocantur, opiniones praxeſq; poterunt hâc ratione non ſolùm palliari, ſed etiam ex ipſo Dei Verbo defendi. Certè ſi liceret nobis ex proprio cerebro figuratè Scripturam interpretari, quando ipſa ejus litera, neque noſtris ſenſibus, neque ſcopo textuum eadem de re agentium, neque majori in contrarium numero planorum Teſtimoniorum repugnat, (talibus enim in caſibus neceſſariò figuras in Sacris Voluminibus debemus admittere, perinde ac in Prophanis; alioqui tum hæc tum illa non minus ſecum ipſis quàm cum noſtris ſenſibus, quos ipſa Scriptura infallibilis certitudinis eſſe non obſcurè innuit, vid. 1 *Joban.* 1. 2 3. pugnarent) ſi, inquam, liceret nobis ad placitum noſtrum figuras Allegoriaſq; noſtras planis apertiſque Dei

Verbis imponere, Scriptura certè id reverà foret, quod nonnulli eam blaſphemè aſſeverant eſſe, *Cereus* videlicet *Naſus*. Exempli gratiâ, frequenter in Scripturâ aſſeritur, Deum, uti ſimilitudinem aut figuram, ita locum ſuum in Cœlo, itemq; affectus ſeu paſſiones habere, quales videlicet ſunt, amor, odium, miſericordia, ira, & ſimilia, neq; quicquam illîc in contrarium traditur: nam quod ad aliquot attinet loca, quæ contrarium videntur præſeferre, ea ita ſunt comparata, ut neq; numeri, neq; perſpicuitatis habitâ ratione, cum aliis ex adverſâ parte poſſint comparari. Quid ergo quæſo eſt, cùr ab ipſa Scripturæ litera in his diſcedere, atque cum Chriſtianorum vulgo (aut potiùs cum illis ſaltem Chriſtianis, quibus, ceu cum falſâ Philoſophiâ regnum in Scholis obtinente commercia habentibus, judicia ſunt pravis notionibus vitiata temerariè debeam affirmare, Deum, vel nullam habere figuram, vel nullo in certo loco exiſtere, nullorumq; affectuum eſſe capacem? Annon hoc foret Scripturâ perinde ac cereo uti naſo, eamque, cum per ſe aliquò reſpiceret, aliò ad noſtrum deflectere placitum?

tum? Et annon tantum abeſt ut Deus in Verbo ſuo loqueretur ad captum noſtrum, (id quod uſitatum Adverſariorum eſt refugium, dùm in hiſce, ſimilibuſq; de Deo controverſiis, planis Scripturæ verbis premuntur) ut potius id agendo efficeret, ut planè redderemur inepti ad percipiendum quid ſibi vellet, dùm nimirùm aliud loqueretur, atq; alud, & quidem planè contrarium, animo conciperet? Quin imò annon rectà homines eò induxiſſet, ut Idolum ipſius loco ſubſtituerent (namque Adverſarii ſupponunt Idololatriam eſſe concipere *Deum*, tanquam vel figuram ſeu imaginem aut affectus habentem, vel in certo aliquo loco exiſtentem) ſi abſque manifeſta atque expreſſis terminis factâ declaratione, ne falſos de ipſo conceptus formaremus, aliter ſemet ipſum in Scripturâ, quàm reverà ſe habeat, deſcripſiſſet? Ita videmus, ſomnum, qui planè arguit imbecillitatem atque imperfectionem, Deo quidem tribui, *Pſal.* 44. 23. ſic tamen, ut ejus contrarium quoque de ipſo affirmetur, *Pſ.* 121. 4. Et licet defatigatio ipſi attribuatur, *Iſa.* 1. 14. eadem tamen etiam expreſsè de illo negatur, *Iſa.* 40. 28.

An

An verò putabimus Deum non idem facturum fuisse in rebus antè commemoratis, si eadem ipsarum ratio, quæ cæterarum, esset? Hæc consideratio adeò urgens atque gravis est, ut Author quidam, alioqui vir magnæ & eruditionis & judicii, ejus percipiens vim, nec tamen videns quâ eandem ratione declinare posset, assumserit, licet admodum infaustè, unum errorem, ut stabiliret alterum, docens in suo, cui titulus est *Conjectura Cabalistica*, libro, *Mosen*, dùm occasione suorum Scriptorum permisit Judæis admittere conceptum Dei tanquam sub humanâ specie, haudquaquam magis viam ipsis aperuisse ad Idololatriam, quàm agnoscendo hominem esse Deum, quem admodùm nostra, inquit, Religio facit in Christo. Quomodo hoc consistere vel cum ipsis ejus principiis potest, dùm Deum ullam habere imaginem pro falso, Christum verò Deum esse pro vero habet? Annon falsi de Deo opinio citiùs hominem ad Idololatriam ducit quàm vera de Christo? At non est mirum hunc Authorem, atque alios cum ipso Viros Eruditos, admittere ejusmodi de Deo & Christo conceptus, qui

cum

cum analogiâ S. Literarum pugnent, dum tanti faciunt, ſublimes quidem ſed incertas Platonicorum notiones, atque interea deſpiciunt planam atque adeò certam Sacrorum Scriptorum literam, quaſi longè inferiorem Divinâ Majeſtate, atq; rudi duntaxat hominum vulgarium apprehenſioni attemperatam, niſi per myſticam Interpretationem ad Platoniſmùm violenter fuerit tracta. Hic eſt lapis, in quem Eruditorum ſuperbia facit ut ipſi perpetuò impingant; nempè, uti putent ſe ſapientiùs digniuſque de Deo loqui poſſe, quàm ipſe ſit in ſuo verbo de ſeipſo loquutus. Hoc eſt quod invexit illam pluſquam *Babylonicam* linguæ confuſionem in Chriſtianam Religionem, dùm homines horridas illas inexplicabileſq; loquendi formulas ſibi ſub ſpecie quidem detegendæ exterminandæque Hæreſios fabricaverunt; ſed quæ tamen revera ſerviant illudendæ Sacrarum Literarum ſimplicitati, introducendæque Hæreſi, ut hoc pacto tantò faciliùs mundanis ſuis conſulerent emolumentis; id quod effectui haud aliter dari potuit, quàm per populi ignorantiam; neque populus præcipitatus in igno-

ignorantiam est, nisi per Religionem monstrosis ejusmodi intricatam involutamque terminis, utpote quos nec populus ipse, nec qui eorum fuerunt inventores, aut saltem eos ab aliis inventos amplexi sunt, intellexerint. Quare fieri impossibile est Christianam Religionem ad primævam suam reduci integritatem, (quæ res; licet equidem multùm prætensa, imò etiam in Ecclesiis jactata Reformatis, hactenus tamen nunquàm fuit seriò sincereque suscepta, multò minùs effectui data, eò quòd homines severis à Religione ulteriùs quàm ipse *Lutherus*, aut saltem *Calvinus* hìc præstitit, reformandà sint impediti pœnis,) nisi intricatis istis, quorum ampla seges est, terminis, atque artificiosè confictis loquendi formulis, invectis in Religionem nostram, nuncium misserimus, nosque ipsos totos ad S. Scripturæ contulerimus perspicuitatem. Jàm enim dudùm antehac observavi, (meam adeò observationem experientiâ didici veram certamque esse) quòd, cùm homines ad res Religionis exprimendas verbis phrasibusque utuntur Scripturæ ignotis, hoc agant, ut sub illis falsa dogmata subdolè occultent, eaq;

nobis

nobis obtrudant: Dogmata enim Scripturæ, nullo procul dubio sermonis genere aptius explicari possunt, quàm eò, quò ipsa utitur Scriptura. Examina igitur Phrases *de Dei essentiâ infinitâ & incomprehensibili; de eo, quod is sit simplex Actus; de ejus tribus personis, vel secundùm triplicem modum subsistentiâ; de Divinâ Circumincessione; de Æternâ Generatione; de Æternâ Processione; de Incarnatione; de Unione Hypostaticâ; de Communicatione Idiomatum; de Matre Dei; de Dei Morte; de Deo facto homine; de Transubstantiatione; de Consubstantiatione; de Originali Peccato; de Christi nostræ naturæ in se assumptione; de Christi Deo pro nostris peccatis, & præteritis, & præsentibus, futurisque, satisfactione; de Legis pro nobis per Christum impletione; de Pœnâ Christo pro nobis inflicta; de Christi Meritis, vel Meritoriâ ejus obedientiâ, tàm Activâ quàm Passivâ; de Christi pro nobis Regni Cœlorum acquisitione; de Irâ Dei, atq; adeò etiam Cruciatibus hominis damnati, à Christo toleratis; de Christi à Mortuis suâ ipsius virtute Resurrectione; de Ubiquitate Corporis Christi; de Christi justitiæ apprehensione, & applicatione nobis per fidem facta;*

de

de Christi pro nobis Fide-jussione; de Christi persolutione debitorum nostrorum; de nostris peccatis Christo imputatis; de Christi Justitiâ nobis imputatâ; de Christi Morte ad placandam iram Dei, illumq; nobis reconciliandum; de infusa Gratia; de libera Gratia; de Mundo Electorum; de irresistibili operatione Spiritûs in hominibus ad fidem adducendis; de carnali Ratione; de spiritualibus desertionibus; de processionibus Dei; de susceptione Ordinationis, &c. & deprehendes nec has loquendi formulas, nec res iisdem expressas à Scripturâ agnosci. Quam excellens igitur illa admonitio *Pauli* est, quâ ad *Timotheum* utitur, 2 Tim. 1, 13. *Expressam formam teneto sanorum sermonum, quos à me audîsti, cum fide & charitate, quæ est in Jesu Christo?* Nam si relictis semel sanis istis sermonibus, quos ab Apostolis didicimus, alios admiserimus, quos alii sequentium ætatum homines cuderunt, fieri aliter non poterit quam ut simùl Apostolorum quoque Doctrinam amittamus, quemadmodum deploranda nos docet experientia. Postquam enim *Constantinus* Magnus, & Concilium *Nicænum*, à stylo Scripturæ semèl deflexe-

runt

runt in negotio de Filio Dei, dicentes ipsum Patri *Coëssentialem*, hoc ipso patentissimam portam aliis postea aperuerunt, ad novos sub prætextu communiendæ contra Hereticos Veritatis terminos pro arbitrio suo confingendos, quibus adeò jam Castitas simplicitasq; Fidei nostræ in Scriptura traditæ corrupta vitiataque est, ut vix unus ex ejus articulis sanus ac integer supersit. Adeò ut, quemadmodum in Scholis disputari solet, utrum *Theseï* navis, (quæ, novâ matereâ in locum veteris & corruptæ diversis substitutâ temporibus, in totum quodammodo, mutata fuit) eadem, quæ primò erat, censeri deberet, & non potius alia, in locum prioris gradatim substituta: ita primævæ quoq; veritati tantum corruptione partem Christianorum maximam paulatim pervadente atque inficiente detritum jam est, totque ejus loco errores diversis temporibus in Religionem nostram invecti, ut meritò quis quærere possit num ipsa sit eadem Religio cum illa, quam Christus ejusq; Apostoli docuerunt, & non potius alia ab hominibus excogitata, atque in illius locum substituta. Sed Laus & Gloria Deo per

Domi-

Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum tribuatur, qui in univerſali hac noſtræ Religionis corruptione, ſcriptum ſuum verbum nobis conſervavit integrum, (ſi enim id corrupiſſent homines, utique etiam feciſſent ipſum de iis, quæ cupiditates ipſorum mundanaque commoda reſpiciunt, favorabilius loqui quam loquitur) in quod equidem Verbum ſi diligenter atque ſincerè introſpectaverimus, determinantes nos ipſos ad amplectandum eam, quæ in eo apertè traditur doctrinam, etiamſi totus orbis ſit adverſum nos inſurrecturus, facilè Veritatem diſcernemus, atque adeo idonei reddemur ad hoc, ut Religionem noſtram ad prima ejus principia reducamus. Id quod ſanè mihi propria experientia liquidò oſtendit, qui quamvis alioquin haud aptitudinis uſquequaque magnæ videri velim, ubi tamen per multos annos ſecundum prædictam determinationem ad ſcrutandas Scripturas ſine omni partium ſtudio meipſum applicaſſem, non ſolum errores multos detexi, verum etiam Lectoribus hîc eos exibui una cum ipſo Religionis corpore, ex Verbo Dei accuratè tranſcripto; quod Corpus quiſ-

quis

quis bene ſecum expenderit, ruminaverit atque digeſſerit, eandem hanc quam ego jam ſignavi viam inſiſtens, poterit ulterius in Oracula Numinis inquirere, & in apricum, quicquid abſconditum adhuc latet, producere; id quod, ubi factum fuerit, tendet ad pietatis inter nos rem perficiendam atq; conſummandam; huc enim duntaxat univerſa Scriptura collimat, Scriptura, inquam, cujus amore omnes omnino homines, qui in ejus ſtudio accuratè verſati ſunt, capi neceſſe eſt, utpote quæ meram Dei ſapientiam ex ſe ſpiret, quæque exactiſſima vitæ Sanctæ, quam omnes, & ſingulæ Religiones confitentur eſſe viam ad felicitatem, ſit regula, atque adeo cujus Divinitatem, nulli unquam in Controverſiam ſunt vocaturi, niſi qui mundanis ſuis voluptatibus renunciare, atque puris ejus perfectiſq; præceptis obedire abnuunt. Quam obedientiam quiſquis præſtiterit, non ſolum in futura, ſed etiam in præſenti vita, Angelis erit æqualis.

Johannes Biddellus.

CONTENTA.

Cap. 1. *De Sacrâ Scripturâ, seu Verbo Dei.*
Cap. 2. *De Deo.*
Cap. 3. *De Creatione.*
Cap. 4. *De Jesu Christo.*
Cap. 5. *De Spiritu Sancto.*
Cap. 6. *De Salute per Christum.*
Cap. 7. *De Christi Mediatione.*
Cap. 8. *De Prophetico Christi Officio.*
Cap. 9. *De Remissione Peccatorum per Christum.*
Cap. 10. *De Regio Christi Officio.*
Cap. 11. *De Sacerdotali Christi Officio.*
Cap. 12. *De Morte Christi.*
Cap. 13. *De Universalitate Charitatis, seu Amoris Dei.*
Cap. 14. De *Christi Resurrectione.*
Cap. 15. De *Justificatione & Fide.*
Cap. 16. De *Mandatorum observatione, & consi-*

consideratione Præmii; de Perfectione in Virtute & Pietate consequendâ; & de discessu à Justitia & Fide.

Cap. 17. De *officio Subditorum & Magistratuum; Uxorum & Maritorum; Liberorum & Parentum; Servorum & Dominorum.*

Cap. 18. De *eo, quomodo se gerere debeant Viri & Fœminæ in genere; & in specie de Senibus, de Anibus, deq; Adolescentibus tàm Virilis quàm Fœminei sexûs.*

Cap. 19. De *Precibus.*

Cap. 20. De *Ecclesia.*

Cap. 21. De *Regimine & Disciplinâ Ecclesiæ*

Cap. 22. De *Baptismo.*

Cap. 23. De *Cœna Domini.*

Cap. 24. De *Resurrectione Mortuorum, & ultimo Judicio; deq; eo, quæ sit ultima Piorum & Impiorum conditio futura.*

Cate-

Catecheſis Scripturalis.

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

CAP. I.

De Sacra Scriptura, ſeu Verbo Dei.

Quæſtio.

Quid Scriptura de ſua ipſius Authoritate teſtatur?

Reſponſio.

Tota Scriptura divinitus eſtinſpirata. 2 *Tim.* 3. 16.

Qu. *Quid de ſua ipſius utilitate, & excellentia?*

R. Tota Scriptura—utilis ad Doctrinam, ad Redargutionem, ad Correctionem, ad Diſciplinam in Juſtitia: Ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum perfectè inſtructus. 2 *Tim.* 3. 16, 17.

Doctrina Jehovæ integra, reſtituens ani-

mam. —Mandata Jehovæ recta, lætificantia animum; præceptum Jehovæ purum, illuſtrans oculos.—Judicia Jehovæ ipſa veritas, juſta ſunt pariter. Deſideratiſſima, deſiderabiliora auro, & quidem auro purgatiſſimo quàm plurimo; ac dulciora melle & quidem acocto melle. Tum me ſervum tuum commonefactum iſtis; in horum obſervatione eſſe emolumentum magnum. *Pſal.* 19. 8, 9, 10, 11, 12.

Dicta Jehovæ dicta pura ſunt; argentum purgatum in catino lectiſſimo terræ, defæcatum ſepties. *Pſal.* 12.17.

Mirabilia ſunt Teſtimonia tua: idcirco cuſtodit ea anima mea. *Pſal.* 119.129.

Q. *Quid Scriptura de ſua ipſius ſufficientia teſtatur?*

R. Sacræ Literæ poſſunt ſapientem reddere ad ſalutem, per fidem quæ eſt in Chriſto Jeſu. 2 *Tim.* 3. 15.

Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis Ieſum eſſe Chriſtum illum Filium Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus. *Johan.* 20. 31.

Q. *Quomodo illis reſponderes, qui, quamvis Scriptura de ſua ipſius ſufficientia teſtetur, nihilo-*

nihilominus contendunt quasdam traditiones ac mandata hominum necessaria esse ad salutem?

R. Irritum feciſtis Mandatum Dei per traditionem veſtram.—Fruſtra me colunt, docentes doctrinas quæ ſunt mandata hominum. *Mat.*15. 6,9.

Q. *Quod ſiquis novam ſermonum formam, inauditam in Scriptura, talemque Doctrinam, quæ ad Pietatem non tendit, introduceret, quid ei diceres?*

R. Expreſſam formam teneto ſanorum ſermonum, quos à me audiſti cum fide & charitate quæ in Chriſto Ieſu. 2 *Tim.*1. 13.

Si quis diverſam docet Doctrinam, neque accedit *ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ei quæ ſecundum Pietatem eſt Doctrinæ.* Is inflatus eſt, nihil ſciens, ſed inſaniens circa quæſtiones, ac pugnas de verbis. 1 *Tim.*6. 3, 4.

Quod audiſtis à principio, in vobis maneat. 1 *Joh.*2.24.

Q. *Quid exinde utilitatis eſt ad nos redundaturum?*

R. Si in vobis manſerit, quod audiviſtis à principio, vos quoq; in Filio & Patre manebitis. 1 *John.* 2. 24.

mam. —Mandata Jehovæ recta, lætificantia animum; præceptum Jehovæ purum, illuſtrans oculos.—Judicia Jehovæ ipſa veritas, juſta ſunt pariter. Deſideratiſſima, deſiderabiliora auro, & quidem auro purgatiſſimo quàm plurimo; ac dulciora melle & quidem acocto melle. Tum me ſervum tuum commonefactum iſtis; in horum obſervatione eſſe emolumentum magnum. *Pſal.* 19. 8, 9, 10, 11, 12.

Dicta Jehovæ dicta pura ſunt; argentum purgatum in catino lectiſſimo terræ, defæcatum ſepties. *Pſal.* 12.17.

Mirabilia ſunt Teſtimonia tua: idcirco cuſtodit ea anima mea. *Pſal.* 119.129.

Q. *Quid Scriptura de ſua ipſius ſufficientia teſtatur?*

R. Sacræ Literæ poſſunt ſapientem reddere ad ſalutem, per fidem quæ eſt in Chriſto Jeſu. 2 *Tim.* 3. 15.

Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis Ieſum eſſe Chriſtum illum Filium Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus. *Johan.* 20. 31.

Q. *Quomodo illis reſponderes, qui, quamvis Scriptura de ſua ipſius ſufficientia teſtetur, nihilo-*

nihilominus contendunt quaſdam traditiones ac mandata hominum neceſſaria eſſe ad ſalutem?

R. Irritum feciſtis Mandatum Dei per traditionem veſtram.—Fruſtra me colunt, docentes doctrinas quæ ſunt mandata hominum. *Mat.* 15. 6, 9.

Q. *Quod ſiquis novam ſermonum formam, inauditam in Scriptura, talemque Doctrinam, quæ ad Pietatem non tendit, introduceret, quid ei diceres?*

R. Expreſſam formam teneto ſanorum ſermonum, quos à me audiſti cum fide & charitate quæ in Chriſto Ieſu. 2 *Tim.* 1. 13.

Si quis diverſam docet Doctrinam, neque accedit *ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ei quæ ſecundum Pietatem eſt Doctrinæ.* Is inflatus eſt, nihil ſciens, ſed inſaniens circa quæſtiones, ac pugnas de verbis. 1 *Tim.* 6. 3, 4.

Quod audiſtis à principio, in vobis maneat. 1 *Joh.* 2. 24.

Q. *Quid exinde utilitatis eſt ad nos redundaturum?*

R. Si in vobis manſerit, quod audiviſtis à principio, vos quoq; in Filio & Patre manebitis. 1 *John.* 2. 24.

Q. *At si qui requirerent à te, ut Judicium Patrum, Conciliorum, eruditorumq; Theologorum sequereris, quid eis responderes cum illud deprehenderes haud cum Scriptura consentire?*

R. Legem & Testimonium consulunto: annon loquuntur in Sententiam illam, cui cunque nulla est lucis scintilla. *Isa.* 8. 20.

Q. *Estne Scriptura satis perspicua, ut intelligi queat etiam ab imperitis?*

R. Testimonium Jehovæ verax, *sapientiam afferens imperito.* Psal. 19. 8.

Aditus verborum tuorum illuminat, prudentiâ instruit *simplices.* Psal. 119. 130.

Q. *An Verbum* Dei *per se est Litera Mortua?*

R. *Vivus* est Sermo Dei & *efficax*, & penetrantior quovis gladio ancipiti: & pertingit usque ad divisionem animæ simul ac spiritûs, compagumque & medullarum; & dijudicat cogitationes & conceptûs cordis. *Heb.* 4. 12.

Verba quæ ego loquor vobis, Spiritus sunt & Vita sunt. *Joh.* 6. 63.

Q. *Atqui nùm pertinent ad nos quæ in Verbo* Dei *commemorantur?*

R. Quæ ante scripta sunt, ad nostram Doctrinam

Doctrinam anteſcripta ſunt; ut per tolerantiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus. *Rom.*15. 4.

Quiſquis audit ex me ſermones iſtos, & eos præſtat, aſſimilabo eum viro prudenti qui ædificavit domum ſuam ſuper petram. *Matth.*7. 24.

Q. *Qui ſunt loci, maximi in tota Scriptura teſtes affectûs, fluentes ex ore hominis inflammati amore Verbi Dei?*

R. De via Teſtimoniorum tuorum gaudeo, ut ſuperiorũ omnibus opibus: —Comminuor ipſe, ob deſiderium erga jura tua omni tempore. —Quàm diligo Legem tuam! toto die eſt meditatio mea. —Quam ſuavia ſunt palato meo judicia ſermonis tui! ſuaviora melle ori meo. —Amplius diligo Præcepta tua quàm aurum, & quidem aurum purgatiſſimum. —Gaudeo de Sermone tuo, ut qui invenit prædam amplam. *Pſal.* 119. 14, 20, 97, 103, 127, 162.

CAP.

CAP. II.

De DEO.

Qu. QUot *ſunt Chriſtianorum* Dii?

Reſ. Unus Deus. *Eph.* 4. 6.

Q. *Quis eſt iſte unus* Deus?

R. Pater ille a quo omnia. 1 *Cor.* 8. 6.

Q. *Quid iſte unus Deus eſt?*

R. Spiritus. *Joh.* 4. 24.

Q. *Extantne pleniores* Dei *deſcriptiones in Scriptura?*

R. *Is eſt* ille beatus & ſolus Princeps, Rex ille Regum, & Dominus Dominorum: Qui ſolus habet immortalitatem, Lucem habitans inacceſſam, quem vidit nemo hominum, neque videre poteſt. 1 *Tim.* 6. 15, 16.

Gratioſus & miſericors eſt Jehova, longanimis, & magnus benignitate. Bonus eſt Jehova omnibus, & miſericordia ejus in omnibus operibus ejus. *Pſal.* 145. 8, 9.

Q. *An non* Deus, *ſecundùm Scripturæ tenorem, exiſtit in certo loco, nempè in Cœlo?*

R. Deus noſter *in ipſis Cœlis eſt.* Pſal. 115. 3.

E Cœlis

E Cœlis intuetur Jehovah, videt omnes filios hominum. *E loco habitationis ſuæ*, proſpicit in omnes habitatores terræ. *Pſal.* 33. 13, 14.

Ne acceleres ore tuo, & animus tuus ne feſtinet proferre quicquam coram ipſo Deo; Nam *Deus ipſe in Cœlis eſt tu autem ſuper terram.* Eccleſ. 5. 2.

Proſpice *ex habitaculo ſanctitatis tuæ è Cœlis*, & benedic populo tuo Izraeli. *Deut.* 26. 15.

Intuere è Cœlis & vide *ex habitaculo ſanctitatis tuæ, & ornatûs tui.* Iſa. 64. 1.

Auſcultes *è loco habitationis tuæ è Cœlis.*

Audito *è Cœlis.* Exaudito *è Cœlis.* Exaudito *è Cœlis.* Exaudito *è Cœlis, ſtatione habitationis tuæ.* Auſcultato *è Cœlis, & ſtatione habitationis tuæ.* Exaudias *è Cœlis.* Exaudias *è Cœlis, è ſtatione habitationis tuæ.* 2 Paralip. 6. 21, 23, 25, 27, 30, 33, 35, 39.

Patrem illum veſtrum, *qui eſt in Cœlis.* Patris illius veſtri, *qui eſt in Cœlis.* Pater veſter, *qui eſt in Cœlis.* Mat. 5. 16, 45, 48.

Patrem veſtrum, *qui eſt in Cœlis.* Pater noſter *qui es in Cœlis.* Mat. 6. 1, 9.

Pater ille veſter, *qui eſt in Cœlis.* Pater meus,

meus, *qui eſt in Cœlis.* Mat. 7. 11, 21. Angeli eorum in Cœlis ſunt, qui per omne tempus intuentur faciem *Patris mei qui eſt in Cœlis.* Mat. 18. 10.

Hæc loquutus eſt Jeſus, & ſuſtulit oculos ſuos *in Cœlum*, dixitque, Pater, venit hora illa: glorifica filium tuum, ut & te Filius tuus glorificet. —Ego te glorificavi in terra.—Nùnc igitur glorifica me tu Pater apud temet ipſum. *Johan.* 17. 1, 4, 5.

Prodii à Patre, & veni in mundum; iterum relinquo mundum, & proficiſcor ad Patrem. *Johan.* 16. 28.

Sciens Jeſus veniſſe horam illam *digrediendi ex hoc mundo ad Patrem*, Johan. 13. 1.

Quum autem eſſet plenus Spiritu Sancto, intentis *in Cœlum oculis, vidit gloriam* Dei, *& Jeſum adſtantem ad dextram* Dei. Et ait, Ecce, *conſpicio Cœlos apertos, & filium illum hominis adſtantem ad dextram* Dei. *Actor.* 7. 55, 56.

Q. *An* Deus *in Scriptura dicitur, habere ullam ſimilitudinem, imaginem, perſonam, ſpeciem?*

R. Dixit Deus faciamus hominem, *ad imaginem noſtram, ſecundùm ſimilitudinem noſtram:*

noſtram : —— Itaque creavit Deus hominem *ad imaginem ſuam, ad imaginem* Dei creavit eum : *Gen.* 1. 26, 27.

Quo die creavit Deus hominem, *ad ſimilitudinem ſuam* fecit ipſum. *Gen.* 5. 1.

Qui effundit ſanguinem hominis, per hominem ſanguis illius effunditor ; quoniam *ad imaginem ſuam* hominem fecit Deus. *Gen.* 9. 6.

Non ſic ſervus meus *Moſes*, qui eſt in tota domo mea fidelis : In os alloquor eum, adeò ut *ſpeciem, ſimilitudinemq; Jehovæ* intueatur, ac non per ænigmata : *Num.* 12. 7, 8.

Per ipſam benedicimus Deo & Patri, & per ipſam execramur homines *ad ſimilitudinem Dei* factos: *Jac.* 3. 9.

An pro Deo ſorti loqui debetis iniquitatem ? Aut pro eo loqui debetis fraudem ? An *perſonam* ejus accipere debetis ? *Job* 13. 7, 8.

Qui miſit me Pater, ipſe teſtatus eſt de me. Neque vocem ejus unquam audiſtis, neque *ſpeciem* ejus vidiſtis. *Joban.* 5. 37.

Q. *Quiſnam Scripturæ locus docet ſanctos in perfecto futuri Mundi ſtatu non modò viſuros Deum de facie in faciem, verùm etiam com-*

comprehensuros seu planè cognituros eum?

R. Postquam advenerit quod perfectum est, tunc quod est aliquatenus, ut inutile tolletur. Cernimus enim nunc per speculum & per ænigma, tunc autem *de facie in faciem* cernemus: nunc novi aliquatenus, tunc verò amplius cognoscam prout amplius edoctus fuero. 1 *Cor.* 13. 10, 12.

Q. *Annon secundùm perpetuum Scripturæ tenorem, affectus sive passiones, quales sunt, ira, excandescentia, zelus, charitas, odium, misericordia, gratia, zelotypia, pœnitentia, dolor, lætitia, timor, sunt in* Deo?

R. Sic copulato *Izraele* cum Idolo-Peboris accensa est *Ira Jehovæ* in Israelem.

Et edixit Jehova *Mosi*, Sume omnes primarios istius populi, & suspende eos Jehovæ coram isto sole: ut avertatur *furor Iræ Jehovæ* ab Izraele; *Num.* 25. 3, 4.

Ita consummabitur *Ira mea*, & collocans *excandescentiam meam* in istis, ultione consolabor me; experienturq; me Jehovam eloquutum esse in *Zelo meo*, quando consummabo *Excandescentiam meam* in ipsis. *Ezek.* 5. 13.

Deprecatus est Moses *faciem Iratam* Jehovæ

hovæ Dei ſui; & dixit, Quare Jehova accenderetur *Ira tua* in populum tuum? —Converte te ne accendatur *Ira tua*. Exo. 32. 11, 12.

Patet Ira Dei è Cœlo adverſus omnem impietatem & injuſtitiam hominum, ut qui Veritatem injuſtè detineant. *Rom.* 1. 18.

Deus Charitatis ac Pacis erit vobiſcum. 2 *Cor.* 13. 11.

Qui non diligit, non novit Deum, nàm Deus eſt Charitas. —Deus Charitas eſt; & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo; 1 *Johan.* 4. 8, 16.

Non es Deus fortis qui delectetur improbitate. —Odiſti omnes qui operam dant iniquitati. *Pſal.* 5. 5, 6.

Benedictus eſto Deus ac Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, *Pater ille miſerationum*, & Deus omnis conſolationis: 2 *Cor.* 1. 3.

Sed Deus, ut *qui dives ſit miſericordia:* Eph. 2. 4.

Deus *omnis Gratiæ:* 1 Pet. 5. 10.

Jehova, Deus fortis, miſericors & gratioſus: *Exod.* 34. 6.

Ego, Jehova Deus tuus, Deus fortis zelotes ſum: *Exod.* 20. 5.

Ipſi

Ipſi commoverunt me ad *zelotypiam* per ea quæ non ſunt Deus fortis: *Deut.* 32. 21.

Tum *pœnituit Jehovam* iſtius mali quod facturum ſe dixerat populo ſuo: *Exod.* 32. 14.

Pœnituit Jehovam quod feciſſet hominem in terra, & *doluit apud animum ſuum.* Dixitque Jehova, delebo hominem quem creavi de ſuperficie terræ, tùm hominem tùm jumenta reptiliaque, & volucres Cœli; nam *pœnitet me* quòd fecerim ea: *Gen.* 6. 6, 7.

Et removentes Deos alienigenarum è medio ſui, coluerunt Jehovam: ita *imminutus eſt animus ejus* propter laborem Izraelitarum: *Jud.* 10. 16.

Jehovah *lætabitur* de te benefaciendo tibi, quemadmodum *lætatus fuerat* de majoribus tuis: *Deut.* 30. 9.

Dixiſſem, angulatim profligem eos: faciam ut ceſſet è mortalibus memoria eorum. Niſi indignationem ab inimico *metuiſſem*, ne ignorent hoſtes illorum; ne dicant excelſa manus noſtra fuit, nec Jehova operatus eſt omnia hæc. *Deut.* 32. 26, 27.

Q. *Annon Deus cognoscit omnes cogitationes, verba & actiones nostras?*

R. Tu cognoscis sedere meum, & surgere meum, intelligis cogitationem meam è longinquo. Iter meum & accubitum meum circumplecteris, & omnium viarum mearum peritus es. Quum nondum est sermo in lingua mea; en, ô Jehova, nosti ipsum totum. *Psal.* 139. 2, 3, 4.

Q. *Quod ad nostras actiones liberas attinet, quæ neque præterierunt, neque præsentes sunt, sed possunt imposterum vel esse vel non esse; qui nam sunt præcipui Scripturæ loci, unde colligi solet, Deum tales actiones ignorare, donec evenerint? Imo tales actiones esse?*

R. Quum formavisset Jehova Deus è terra omnes bestias agri, omnesq; volucres Cœli, & adduxisset ad Adamum *ut videret quî vocaret singulas.* Gen. 2. 19.

Et dixit Jehova Deus, ecce homo est sicut unus ex nobis cognoscendo bonum & malum; nunc igitur videndum ne *extendens manum suam* accipiat etiam de fructu arboris vitæ, ut comedat victurus in seculum. Emisit itaque eum Jehova Deus ex horto Hedenis. *Gen.* 3. 22, 23.

Quum itaque videret Jehova augeſcere malitiam hominis in terra; & omne figmentum ac cogitationes cordis ejus, tantummodo malum eſſe omni tempore: *Pœnituit Jehovam quod feciſſet hominem in terra, & doluit apud animum ſuum.* Dixitque Jehova, delebo hominem quem creavi, de ſuperficie terræ, tum hominem, tum jumenta reptiliaque, & volucres Cœli: nam *pœnitet me quod fecerim ea.* Gen. 6. 5, 6, 7.

Evenit autem his rebus tranſactis, ut *Deus ipſe tentaret Abrahamum*, nam dixit; —Aſſume nunc filium tuum unicum tuum, quem diligis, Iſacum, & —offer eum— in holocauſtum. —Et immittens Abraham manum ſuam accepit cultrum ad jugulandum filium ſuum. Inclamans vero eum Angelus Jehovæ, dixit, —Ne immittas manum tuam in puerum hunc; nec facies ei quicquam; *nunc n. expertus ſum timentem Dei eſſe te, cum non ſubtraxeris filium tuum, unicum tuum, à me.* Gen. 22. 1, 2, 10, 11, 12.

Edixitque —Deus Moſi, —I, & congregatis Senioribus Izraelis dices eis, Jehova Deus Patrum veſtrorum apparuit mihi.

—*Sic*

—*Sic auſcultabunt voci tuæ.* Exod. 3. 15; 16, 18.

Tunc reſpondens Moſes dixit, at ecce *non credituri ſunt mihi, neque auſcultaturi voci meæ.* —Dixit autem ei Jehova, quidnam eſt in manu tua? Eoque dicente, baculus. Dixit, abjice eum in terram, quumque abjeciſſet eum in terram, converſus eſt in Serpentem. —Poſtea dixit Jehova Moſi, extendens manum tuam prehende caudam ejus; quumque extenſâ manu ſuâ prehendiſſet eum converſus eſt in baculum in manu ejus. *Ut credant, inquit, apparuiſſe tibi Jehovam Deum patruum ſuorum;* —Deinde rurſus dicente Jehova ei, infer nunc manum tuam in ſinum tuum, intulit manum ſuam in ſinum ſuum; quumque eduxiſſet eam, ecce manus ejus Leproſa erat alba ſicut nix. Dicente vero, refer manum tuam in ſinum tuum, retulit manum ſuam in ſinum ſuum: quumque eduxit eam è ſinu ſuo, ecce reſtituta eſt ut reliqua caro ejus. Hoc fiet; inquit, *ſi non crediderint tibi, neque auſcultaverint voci, & ſigno prioris ut credant voci & ſigno alteri.* Erit quoq; *ſi non crediderint etiam duobus ſignis iſtis, &*

non auſcultaverint voci tuæ, ſi accipiens de aquis alicujus rivi effundas in aridam; ut convertantur aquæ illæ quas acceperis è rivo, convertantur inquam in ſanguinem in ipſa arida. *Exod.* 4. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9.

Fuit autem, quum dimiſiſſet Pharao populum, ut non duceret eos Deus via regionis Philiſtæorum, quod propinqua eſſet; dicebat enim Deus, videndum *ne pœnitant hunc populum, quum viderint bellum, & revertantur in Ægyptum.* Exod. 13. 17.

Dixit vero Jehova Moſi, Ecce, ego faciam ut pluat vobis Panem ex ipſo Cœlo; quare egredietur hic populus, & collecturi ſunt demenſum cujuſq; diei quotidiè, *ut tentem eum, utrum ambulaturus ſit in Lege mea, necne.* Exod. 16. 5.

Tum *pœnituit Jehovam iſtius mali quod facturum ſe dixerat populo ſuo.* Exod. 32. 14.

Obmurmurationes filiorum Izraelis, quibus murmurant contra me audivi. *Si vos ingreſſuri eſtis in Terram, in qua juravi tollens manum meam me collocaturum vos.* Num. 14. 27, 30.

Recordaberis totius iſtius viæ, quâ deduxit

duxit te Jehova Deus tuus jam quadraginta annos per ipſum deſertum, ut affligeret te, *tentando te, ad cognoſcendum id quod erat in animo tuo, utrum obſervares Præcepta ejus necne.* Deut. 8. 2.

Tentat Jehova Deus veſter vos, ad cognoſcendum an ſitis amantes Dei veſtri ex toto corde veſtro, & ex toto animo veſtro. Deut. 13. 3

Iſtæ autem ſunt Gentes, quæ ut manerent fecit Jehova, *ad probandum eas Izraelitas.* —*Fueruntque ad probandum per ipſas Izraelem, ad cognoſcendum an auſcultaturi eſſent Præceptis Jehovæ.* Judic. 3. 1, 4.

Dictum Jehovæ Dei Izraelis, *Dixeram quidem, domus tua, ut domus patris tui, indeſinenter ibunt coram me uſque in ſeculum, at nunc, dictum Jehovæ, abſit mihi,* nam honorantes me honorabo, contemtores autem mei leves fient: 1 *Sam.* 2. 30.

Quapropter fuit Verbum Jehovæ ad Samuelem, dicendo; *Pœnitet me conſtituiſſe Saulem regem, quia averſus eſt à ſequendo me, & verba mea non præſtitit.* 1 Sam. 15. 10, 11.

Secundatas fuerat Hezechias in toto opere ſuo; Itaque agentem cum oratoribus

principum Babyloniæ qui miserant ad eum ut inquirerent de prodigio illo quod fuerat in terra, dereliquit eum Deus : *tentando eum, ut experiretur quicquid erat ei in animo.* 2 Chron. 32. 31.

Quid faciendum amplius Vineæ meæ, quod non fecerim in ea? *Quamobrem quum expectassem ut ederet uvas, edidit labruscas?* Isa. 5. 4.

Sic ait Jehova, Sta in atrio domûs Jehovæ, ut eloquaris apud omnes Civitates Judæ : — Si forte auscultantes revertantur quisque à via sua mala ; ut pœniteat me mali, quod ego cogito facere illis. *Jer.* 26. 2, 3.

Fuit Verbum hoc ad Jeremiam à Jehova, dicendo, Sume tibi volumem libri, ut scribas in eo omnia verba quæ proloquutus sum tibi, de Izraele, & de Juda. —*Si forte audiant domus* Judæ *totum illud malum quod ego cogito facere ipsis ; ut revertantur quisq; à via sua pessima, & condonem iniquitatem ipsorum, & peccatum ipsorum.* Jer. 36. 1, 2, 3.

Fuit ad me Verbum Jehovæ, dicendo ; —Para tibi instrumenta migrationis, & migra de die ante oculos eorum, —*fortasse visuri*

viſuri ſunt, nàm domus rebellis ſunt; *Ezech.* 12. 1, 3.

Omni in re precibus & deprecatione cum gratiarum actione *petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum*: Phil. 4. 6.

Sed ſicut probati fuimus à Deo quibus crederetur Evangelium, ita loquimur, non ut hominibus placentes, ſed Deo *exploranti corda noſtra.* 1 Theſſ. 2. 4.

Q. *Quomodo oportet nos adorare Deum?*

R. Qui adorant eum, oportet ut Spiritu ac Veritate adorent: *Johan.* 4. 24.

Q. *Quomodo nos eum diligere oportet?*

R. Diliges Jehovam Deum tuum ex toto corde tuo, & ex toto animo tuo, & ex totis veribus tuis: *Deut.* 6. 5.

Q. *An eum ex* toto corde *diligere poſſemus, ſi trinus eſſet? vel, an ejus* unitas *eſt cauſa quam Moſes innuerit, cur ita eum diligamus? Quomodo ſonant verba ſecundum veritatem Hebraici textûs?*

R. Audi Izrael, Jehova Deus noſter, Jehova *unus eſt*: Deut 6. 4.

Q. *In quo conſiſtit charitas Dei?*

R. Hæc eſt charitas Dei, ut præcepta ejus obſervemus: 1 *Ioh.* 5. 3.

Qui observat sermonem ejus, vere in hoc charitas Dei adimpleta est : 1 *Iohan.* 2. 5.

Q. *Quid si quis dixerit, se Deum diligere, & interim fratrem suum oderit ?*

R. Si quis dixerit, Diligo Deum, & fratrem oderit, mendax est: Qui enim non diligit fratrem suum quem vidit, Deum quem non vidit quomodo potest diligere ? 1 *Iohan.* 4. 20.

Q. *Quæ utilitas tibi cognoscere Patrem solum esse illum verum Deum ? Quomodo loquitur Christus in precatione sua ad Patrem hâc de re ?*

R. Hæc est vita æterna ut cognoscant te illum solum verum Deum : *Iohan.* 17. 3.

CAP.

CAP. III.

De Creatione.

Q. *AN Cœlum & Terra extiterunt ab omni æternitate; an verò creata sunt certo tempore? & à quo?*

R. In principio creavit Deus Cœlum & Terram: *Gen.* 1. 1.

Q. *Quamdiu fuit Deus occupatus in faciendis iis?*

R. Sex diebus perfecit Jehova Cœlum ipsum & Terram, Mare, & quicquid est in eis: *Exod.* 20. 11.

Q. *Quomodo creavit Deus Hominem?*

R. Finxit Jehova hominem de pulvere terræ, sufflavitque in nares illius halitum vitæ; sic factus est homo animal vivens: *Gen.* 2. 7.

Q. *Quomodo creavit Deus Mulierem?*

R. Injecit Jehova Deus soporem altum in Adamum, quo obdormivit, & desumpta una de costis ejus, inclusit carnem pro illa: Exstruxitque Jehova Deus ex costa illa, quam sumserat de Adamo, Mulierem, eamque

que adduxit ad Adamum: *Gen.*2.21,22.

Q. *Cur ipsa vocata est Virago?*

R. Eo quod ipsa ex Viro desumpta est: *Gen.*2. 23.

Q. *Quid exinde concludit Moses, quod ea sit facta Virago, & adducta ad Virum?*

R. Idcirco relicturus est vir patrem suum, & matrem suam; & adhærebit uxori suæ eruntque in carnem unam: *Gen.*2.24.

Q. *Ubi collocavit Deus hominem postquam eum creavit?*

R. Ornavit plantis Jehova Deus hortum in Hedene ab Oriente; ubi collocavit hominem illum quem finxit: *Gen.*2. 8.

Q. *Quodnam mandatum dedit Deus homini quando eum collocavit in Horto?*

R. Interdixit Jehova Deus homini dicendo; De fructu quidem omnis arboris hujus Horti libere comedes: de fructu vero arboris scientiæ boni & mali, de isto ne comedas; nam quo die comederis de eo, utique moriturus es: *Gen.*2. 16, 17.

Q. *An Adamus seductus fuit, ut ederet ex vetito fructu?*

R. Adamus non fuit seductus, sed mulier seducta, causa transgressionis fuit: 1 *Tim.* 2. 14.

Q. *A*

Q. *A quo seducta fuit Mulier?*

R. Serpens ille Evam seduxit calliditate sua: 2 *Cor.* 11. 3.

Q. *Quomodo fuit mulier seducta ut ederet ex fructu vetito? & quomodo vir ejus?*

R. Quum videretur mulieri bonum esse fructum arboris illius in cibum, & gratissimam esse illam oculis, ac desiderabilem esse arboris fructum ad habendum intelligentiam, accepit de fructu ejus & comedit: etiamque dedit comedendum viro suo secum, qui comedit: *Gen.* 3. 6.

Q. *Quid consecutum ex hoc eorum esu de fructu vetito?*

R. Aperuerunt sese oculi amborum, noveruntque se nudos esse: & consutis foliis ficulneis, fecerunt sibi subligacula: *Gen.* 3. 7.

Q. *An peccatum primorum nostrorum parentum in edendo de vetito fructu, reatum ignis infernalis cum in eos tum in posteros eorum induxit, imaginem Dei in illis obliteravit, intellectum obtenebravit, voluntatem servituti mansipavit, eosq; viribus ad faciendum bonum privavit, mortalitatemque illis operatum est? Quod si non, quænam sunt ipsæ pœnæ, quas*

Deus

Deus denunciavit adversum eos ob prædictum peccatum?

R. Mulieri dixit: admodum multiplicabo dolorem tuum, etiam conceptus tui; in dolore paries liberos: quin erga virum tuum appititus tuus esto, & ipse præesto tibi. Adamo vero dixit: quia auscultâsti voci uxoris tuæ; & comedisti de fructu arboris illius quo interdixeram tibi, dicendo, ne comedas ex isto: maledicta esto terra propter te; cum dolore comedito proventum ejus omnibus diebus vitæ tuæ. Eaque spinam & carduum proferto tibi, tu vero comedito herbam agri. In sudore vultûs tui vescitor cibo, donec revertaris in humum, cum ex ea desumptus fueris: nam pulvis es, & in pulverem reverteris. *Gen.* 3. 16, 17, 18, 19.

CAP.

CAP. IV.

De Ieſu Chriſto.

Quæſt.

Quot ſunt Chriſtianorum Domini diſtincti ab illo uno Deo?

R. Unus Dominus: *Eph.*4.5.

Q. Quis eſt ille unus Dominus?

R. Ieſus Chriſtus, per quem omnia: 1 *Cor.*8.6.

Q. Quomodo fuit Ieſu Chriſti nativitas?

R. Ieſu Chriſti nativitas ita fuit: Quum enim mater ejus Maria deſponſata eſſet Joſepho, priuſquam ipſi conveniſſent, comperta eſt prægnans eſſe è Spiritu Sancto: *Mat.*1.18.

Dixit ei Angelus, Ne time Maria;—Ecce, concipies in utero, et paries filium; & vocabis nomen ejus Ieſum. Hic erit magnus & Filius Altiſſimi vocabitur.—Dixit autem Maria ad Angelum; Quomodo erit iſtud, quandoquidem virum non novi? Et reſpondens Angelus dixit ei; Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, et virtus Altiſſimi inumbrabit

umbrabit te: *Luc.*1. 30, 31, 32, 34, 35.

Q. *Quomodo juxta* Pauli *sententiam futurum erat ut Iesus Christus evaderet Dominus?*

R. Ad hoc Christus & mortuus est, & resurrexit, & revixit, *ut & mortuis, & viventibus dominetur:* Rom. 14. 9.

Q. *Quid Petrus Apostolus dicit de tempore & modo, quo idem factus est Dominus?*

R. Hunc Iesum suscitavit Deus: cujus rei omnes nos sumus testes. Itaque dextra Dei sursum sublatus, & promissum Spiritū Sanctū adeptus à Patre, effudit hoc quod vos nunc cernitis, & auditis. —Certo sciat ergo tota domus Israelis, *quod Deus hunc fecerit Dominum & Christum, hunc ipsum, inquam, Iesum quem vos crucifixistis.* Acto. 2. 32, 33, 36.

Q. *Annon Iesus suis miraculis ostendit se esse Deum? Et annon ea miracula patravit viribus* suæ ipsius divinæ naturæ, seu quòd ipse Deus esset? *Quænam hic est Apostoli Petri determinatio?*

R. Iesum illum Nazaræum, *virum à Deo approbatum apud vos præstantibus factis & prodigiis & signis, quæ edidit per eum Deus:* Actor. 2. 22.

Ut

Ut *Ieſum illum à Nazareta unxerit Deus Spiritu Sancto, et potentiâ,* qui obambulavit beneficis afficiens, & ſanans omnes ſub Diaboli poſteſtatem redactos, *quoniam Deus erat cum eo:* Actor. 10. 38.

Q. *Annon Chriſtus omnia à ſeipſo operari potuit? Et annon ipſe fuit æternus Dei Filius qui carnem aſſumpſerit & cui natura Chriſti humana perſonaliter fuerit unita, quique omnia opera iſta patraverit? Reſponde mihi ad hæc verbis ipſius Filii.*

R. *Amen Amen dico vobis, *Non poteſt Filius à ſemet ipſo operari, niſi viderit Patrem operantem:* quæcunque enim ille facit, hæc etiam Filius pariter facit. Pater enim amat Filium, & omnia oſtendit ei quæ ipſe facit; & opera iſtis majora oſtendet ei, ut vos miremini. —*Non poſſum ego à meipſo facere quicquam:* *Johan. 5. 19, 20, 30.

Pater qui in me manet, ipſe facit opera: Johan. 14. 10.

Q. *Quam adfert rationem Filius, cur Pater ipſum non dereliquerit, neque à favore ſuo excluſerit? annon ideo hoc factum quòd eandem cum ipſo haberet eſſentiam, atque adeò impoſſibile eſſet, ut pater ipſum derelinqueret atq; amore proſequi deſineret?* R. Qui

R. Qui me miſit, mecum eſt; non reliquit me ſolum Pater, *quia ego quæ placent ipſi facio ſemper:* Johan. 8. 29.

Prout dilexit me Pater, ita & ego dilexi vos; manete in illa mea Charitate. Si Præcepta mea obſervaveritis, manebitis in Charitate mea, *ſicut ego Patris mei Præcepta ſervavi, & maneo in ejus Charitate:* Johan. 15. 9, 10.

Q. *An Scriptura aſſerit Chriſtum propterea eſſe Filium Dei, quod ab æterno ſit genitus ex divina eſſentia; an vero alias ob rationes quæ ipſi conveniant quatenus homo tantum eſt? Recenſe loca hanc ad rem facientia.*

R. Dixit ei Angelus, Ne time Maria: es enim in gratia apud Deum. Et ecce, *concipies in utero, & paries Filium: & vocabis nomen ejus Ieſum. *Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur,* dabitq; ei Dominus Deus ſedem *Davidis* Patris ipſius.——Dixit autem Maria ad Angelum; Quomodo erit iſtud, quandoquidem Virum non novi? Et reſpondens Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi inumbrabit te: *propterea etiã quod*

naſcetur

naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Luc. 1. 30, 31, 32, 34, 35.

Mene *quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum,* vos dicitis blaſphemare, quia dixi *Filius Dei ſum?* Johan. 10. 36.

Et nos vobis evangelizamus eam promiſſionem, quæ patribus facta eſt, Deum videlicet eam impleviſſe filiis illorum, nobis, ſuſcitato Ieſu; Ut etiam in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt; *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Actor. 13. 32, 33.

Et à Ieſu Chriſto, qui eſt fidus ille teſtis, *primogenitus ille ex mortuis:* Apoc. 1. 5.

Eſtque caput corporis, Eccleſiæ, eſtque principium & *primogenitus ex mortuis.* Col. 1. 18.

Tanto præſtantior factus Angelis, *quanto excellentius præ illis ſortitus eſt nomen.*

Nam cui dixit unquam Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Ac rurſum, *ego ero ei Pater, & ipſe erit mihi Filius.* Heb. 1. 4, 5.

Ita & Chriſtus non ipſe ſibi hunc honorem tribuit, ut fieret Pontifex, ſed is qui dixit ei: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Heb. 5. 5.

Quos præſcivit etiam prædeſtinavit conformandos imagini Filii ſui: ut is ſit *primogenitus inter multos Fratres.* Rom. 8. 29.

Q. *Quid ipſe Filius de Dei Patris ſupra ipſum Prærogativâ dicit?*

R. Si diligeretis me, gauderetis utique quod dixerim, proficiſcor ad Patrem: *quia Pater major me eſt.* Johan. 14. 28.

Sed de die illo ac hora nemo ſcit, ne Angeli quidem qui in Cœlo ſunt, *neque ipſe Filius, ſed Pater.* Marc. 13. 32.

De die autem illo & hora nemo ſcit, ne Angeli quidem Cœlorum; *ſed Pater meus ſolus.* Mat. 24. 36.

Q. *Quid Apoſtolus Paulus dicit?*

R. Deinde erit finis, *quum tradiderit Regnum Deo ac Patri:* —Poſtquam vero ſubjecta fuerint ei omnia, tunc *& ipſe Filius ſubjicietur ei qui ſubjecit ipſi omnia, ut Deus ſit omnia in omnibus.* 1 Cor. 15. 24, 28.

Velim autem vos noſſe Chriſtum eſſe omnis viri caput: caput autem mulieris virum: *caput vero Chriſti, Deum.* 1 Cor. 11. 3.

Omnia veſtra ſunt; Vos autem Chriſti; *Chriſtus vero Dei.* 1 Cor. 3. 22, 23.

Q. *Verùm annon Chriſtus in Scriptura ornatur*

natur titulo ut Domini *sic etiam* Dei ?

R. Respondit autem Thomas, & dixit, Domine mi & *Deus mi.* Joh. 20. 28.

Q. *An ille sic Deus Thomæ erat, ut interim ipse met alium non agnosceret suum esse Deum?*

R. Dicit ei Iesus, —proficiscere ad Fratres meos, & dic eis, ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, & *Deum meum* & Deum vestrum, *Joh.* 20. 17.

Qui vicerit, faciam ut is sit Columna in Templo *Dei mei*; nec foras egredietur amplius; et inscribam ei nomen *Dei mei*, et nomen Civitatis *Dei mei*, Novæ Hierusalem, quæ descendit è Cœlo à *Deo meo.* Apoc. 3. 12.

Q. *An habes aliquem Scripturæ locum, in quo Christus, eodem tempore, quo ipsi appellatio Dei tribuitur, Deum habere dicatur?*

R. Ad Filium autem, Thronus tuus, *Deus*, in seculum seculi; Virga recta Virga Regni tui: Dilexisti Justitiam, & odisti transgressionem: propterea unxit te *ô Deus, Deus tuus*, oleo exultationis, ultra consortes tuos. *Heb.* 1. 8, 9.

CAP. V.

De Spiritu Sancto.

Quæſt.

Q. *Quot ſunt Spiritus Sancti Chriſtianorum?*

R. Unus Spiritus. *Eph.* 4.4.

Q. *Qua in re conſiſtit Spiritûs Sancti prærogativa ſupra alios Spiritus?*

R. Spiritus omnia ſcrutatur etiam profunda Dei. Quis enim hominum novit ea quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis qui eſt in eo? Ita etiam ea *quæ ſunt Dei nemo novit niſi Spiritus Dei.* 1 Cor. 2. 10, 11.

Q. *Unde mittitur Spiritus Sanctus?*

R. E Cœlo. 1 *Pet.* 1. 12.

Q. *A quo?*

R. *Emiſit Deus Spiritum Filii ſui* in corda veſtra. *Gal.* 4. 6.

Q. *Annon Chriſtus affirmat ſe quoque eum mittere? Quomodo loquitur ipſe?*

R. Niſi abiero, Advocatus ille non veniet ad vos: ſin autem profectus fuero, mittam eum ad vos. *Joh.* 16. 7.

Q. *An Chriſtus hanc poteſtatem Spiritum Sanctum*

Sanctum mittendi ſemper habuit, an vero certo eam tempore conſecutus eſt?

R. Hunc Ieſum ſuſcitavit Deus: cujus rei omnes nos ſumus teſtes. *Itaque dextrâ Dei ſurſum ſublatus & promiſſum Spiritum Sanctum adeptus à Patre, emiſit hoc quod vos nunc cernitis, & auditis.* Act. 2. 32, 33.

Hoc dixit de Spiritu illo quem accepturi erant credentes in eum. *Nondum enim erat Spiritus Sanctus, quia Ieſus nondum erat glorificatus.* Joh. 7. 39.

Q. Quænam erant generalia beneficia, quæ per Spiritum Sanctum Chriſtianis obtingebant?

R. Per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptizati ſumus, & Judæi & Græci, & Servi & Liberi; & omnes *potati ſumus in unum Spiritum.* 1 Cor. 12. 13.

Ipſe Spiritus *teſtatur una cum Spiritu noſtro*, nos eſſe Filios Dei. —Itidem autem & Spiritus una *ſublevat infirmitates noſtras*: Quid enim oremus ut oportet, non novimus; ſed ipſe Spiritus *intercedit pro nobis* ſuſpiriis inenarrabilibus.

Qui vero ſcrutatur corda, novit quid ſapiat Spiritus: quia ſecundum Deum *inter-*

cedit pro Sanctis. Rom. 8. 16, 26, 27.

Charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum, qui datus est nobis. *Rom.* 5. 5.

Qui & declaravit nobis vestram per Spiritum *Charitatem.* Col. 1. 8.

Ut Deus Domini nostri Iesu Christi, Pater ille gloriæ, det vobis *Spiritum sapientiæ & revelationis, per agnitionem ipsius.* Eph. 1. 17.

Utinam Deus spei impleat vos omni gaudio, & pace credendo, ut *spe* exundetis per Virtutem Sp. Sancti. *Rom.* 15. 13.

Non enim est Regnum Dei esca & potus, sed Justitia & Pax, *& Gaudium* per Spiritum Sanctum. *Rom.* 14. 17.

Ecclesiæ igitur per totam Judæam, & Galilæam, & Samariam habentes pacem, ædificabantur; et pergentes in timore Domini, *& consolatione Spiritus Sancti* multiplicabantur. *Act.* 9. 31.

Ut det vobis, pro divite sua gloria, ut fortiter *corroboremini per Spiritum suum in interiore homine. Eph.* 3. 16.

Q. *Quænam erant peculiaria beneficia Apostolis per Spiritum Sanctum collata? quid*

quid Chriſtus illis hac de re dicit?

R. Advocatus autem ille, Spiritus Sanctus, quem mittit Pater in nomine meo, *ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæ dixi vobis.* Joh. 14. 26.

Quum autem venerit ille, Spiritus ille veritatis, *dux viæ vobis erit in omnem Veritatem.* Joh. 16. 13.

Q. An Spiritus Sanctus ipſis futurus erat dux viæ in omnem veritatem, tanquam à ſe loquens, ſuamque plenitudinem ipſis communicans? quid Chriſtus hac de re dicit?

R. Non loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audierit loquetur; et quæ ventura ſunt, renunciabit vobis. Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, et renunciabit vobis. *Joh.* 16, 13, 14.

Q. An homines Spiritum Sanctum accipiunt, dum ſunt ex mundo & in ſua naturali conditione, hunc in finem, ut Filii Dei evadant, recipiant Verbum, credant, reſipiſcant, Chriſto obediant? An *poſtquam Filii Dei evaſerunt, Verbum receperunt, crediderunt, reſipuerunt, Chriſto obedierunt?*

R. Rogabo Patrem, et alium Advocatum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in

æternum. Nempe Spiritum illum Veritatis, *quem mundus non potest recipere*, quia non conspicit eum, nec novit eum. *Johan.* 14. 16, 17.

Animalis homo non est capax eorum quæ sunt Spiritûs Dei: sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur. 1 *Cor.* 2. 14.

Quoniam autem estis Filii, emisit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem, Abba, Pater. *Gal.* 4. 6.

Quum audîssent Apostoli qui erant Hierosolymis, Samariam *recepisse Sermonem Dei*, miserunt ad eos Petrum ac Johannem. Qui quum descendissent orarunt pro iis, *ut acciperent Spiritum Sanctum. Nondum enim in quenquam illorum illapsus fuerat*, sed baptizati tantum fuerant in nomen Iesu. *Act.* 8. 14, 15, 16.

Qui credit in me, sicut dixit Scriptura, flumina aquæ vivæ ex ventre ipsius fluent. Hoc autem dixit de Spiritu illo, quem *accepturi erant credentes in eum: Nondum enim erat Spiritus Sanctus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Joh. 7. 38, 39.

Ut Paulus, per agratis superioribus partibus

tibus veniret Ephesum, ubi quum discipulos quosdam inveniſſet, dixit eis; *Num Spiritum Sanctum accepiſtis, poſteaquam credidiſtis?* Illi vero dixerunt ei, *Imo, ſitne Spiritus Sanctus, ne audivimus quidem:* Actor. 19. 1, 2.

Per quod etiam, *poſteaquam credidiſtis*, obſignati eſtis Spiritu illo promiſſionis ſancto. *Eph.* 1. 13.

Ut promiſſum illum Spiritum acciperemus *per Fidem.* Gal. 3. 14.

Deus inter nos elegit me, ut per os meum audirent Gentes ſermonem Evangelii, & *crederent.* Et ille cordium cognitor Deus *præbuit eis teſtimonium, dato ipſis Spiritu Sancto*, ſicut & nobis: *Act.* 15. 7, 8.

Reſipiſcite & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomen Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum; & *accipietis donum Spiritus Sancti.* Act. 2. 38.

Et nos ſumus ei teſtes horum quæ dicimus: atque etiam Spiritus ille Sanctus, quem dedit Deus *iis qui dicto ſunt audientes ipſi.* Actor. 5. 32.

CAP.

CAP. VI.

De Salute per Christum.

Quæst.

ANnon *Christus in Scriptura Salvator dicitur?*

R. Dominus noster & *Salvator Iesus Christus.* 2 Pet. 3. 18.

Q. *Estne Christus noster Salvator originaliter & ex seipso; an vero quia datus, exaltatus, & excitatus est ab alio ut esset Salvator?*

R. Nec aliud nomen est sub Cœlo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos Salvari: *Act.* 4. 12.

Hunc Deus dextra sua sursum sublatum *constituit principem, & Salvatorem:* Actor. 5. 31.

Hujus è semine Deus secundum promissionem *excitavit Izraeli Servatorem Iesum:* Actor. 13. 23.

Q. *Quomodo sancti ut per Christum serventur expectant?*

R. Ser-

R. Servabimur per vitam ipſius: *Rom.* 5. 10.

Servatorem expectamus Dominum Ieſum Chriſtum. *Qui transfigurabit corpus noſtrum humile, ut conforme fiat ejus corpori glorioſo, pro vi illa efficace, qua poteſt etiam ſubjicere ſibi omnia.* Philip. 3. 20, 21.

CAP. VII.

De Chriſti Mediatione.

Quæſt.

ANnon vocatur *Chriſtus Mediator inter Deum & homines?*

R. Unus eſt Deus, *unus* etiam *Mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus:* 1 Tim. 2. 5.

Q. *Annon Chriſtus etiam vocatur Mediator Novi Pacti? ſeu præſtantioris Pacti?*

R. Et ad *novi Pacti* Mediatorem Ieſum: *Heb.* 12. 24.

Præſtantioris Pacti eſt Mediator: *Heb.* 8. 6.

CAP.

CAP. VIII.

De Prophetico Chriſti Officio.

Quæſt.

ANnon Chriſtus, ut Mediatoris, ita etiam Prophetæ titulo ornatur?

R. Et miſerit prius prædicatum vobis Ieſum Chriſtum. —Moſes etenim ad Patres dixit, *Prophetam* ſuſcitabit vobis Dominus Deus veſter, ex fratribus veſtris ſicut me, *Actor.* 3. 20, 22.

Q. Quandoquidem Chriſtus futurus erat Propheta ſimilis Moſi, *Moſes autem hoc præ aliis Prophetis habuit priviligium, quòd nimirum Dominus non in viſione notum ſe ipſi fecerit, neque in ſomnio locutus ei fuerit; ſed facie ad faciem, quemadmodum qui loqui ſolet ad animum ſuum, ipſique oſtenderit ſimilitudinem Domini,* Exod. 33. 11. Num. 12. 6, 7, 8. *an potes ullum è Scriptura locum citare qui Chriſtum Deum vidiſſe doceat antequam Prophetico ſuo fungeretur officio?*

R. Quiſquis audivit à Patre & didicit, venit

venit ad me. Non quod Patrem viderit quiſquam, *niſi is qui eſt à Deo: hic vidit Patrem*, Johan. 6. 45, 46.

Q. *Unde conſtat Chriſtum, non minus quam Moſen, à Deo audiviſſe ea quæ loquutus eſt?*

R. Studetis me interimere, *hominem qui veritatem vobis loquutus ſum, quam audivi à Deo*, Johan. 8. 40.

Qui me miſit verax eſt: & ego *quæ audivi ab eo* hæc loquor mundo. —*Prout docuit me Pater*, hæc loquor, *Joh.* 8. 26, 28.

Omnia quæ audivi à Patre meo nota feci vobis, Johan. 15. 15.

Verba *quæ tradidiſti mihi*, tradidi eis: & ipſi receperunt: *Johan.* 17. 8.

Q. *An porrò aliqua citare potes loca ex quibus probetur Chriſtum, quatenus homo eſt, in Cœlum aſcendiſſe, ibique fuiſſe, veniſſeq; à Deo è Cœlo, antequam ſeſe mundo oſtenderet, ac prophetico ſuo fungeretur officio; adeo ut colloquium Moſis, quod cum Deo in perſona Angeli Dei ferentis nomen habuit, umbra duntaxat fuerit Chriſti cum Deo colloquii?*

R. Nullus *aſcendit in Cœlum*, niſi qui *deſcendit è Cœlo, Filius hominis* qui eſt, (*ſeu potius*, erat) in Cœlo: *Iohan.* 3. 13.

Quid

Quid si spectaveritis *filium hominis* ascendentem eo *ubi erat prius?* Joh. 6. 62.

Descendi è Cælo ut exequar non voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me: *Joh.* 6. 38.

Ego sum Panis ille vivus *qui è Cælo descendi*: Joh. 6. 51.

Nequaquam Moses dedit vobis Panem illum Cœlestem: sed Pater meus dat vobis *Panem illum Cælestem verum.* Panis enim ille Dei *is est qui de Cælo descendit*, et dat vitam mundo. —Murmurabant Judæi de eo quia dixerat, ego sum Panis ille, *qui è Cælo descendit.* Et dicebant; Nonne iste est ille Iesus, filius ille Josephi, cujus nos novimus Patrem et Matrem? Quomodo ergo dicit iste; *E Cælo descendi?* Johan. 6. 32, 33, 41, 42.

Sicut misit me vivens ille Pater, et ego vivo per Patrem; ita etiam qui ederit me, vivet ipse quoque per me. Hic est Panis ille *qui de Cælo descendit:* Joh. 6. 57, 58.

Ego *à Deo prodii* et adsum: *Joh.* 8. 42.

Vos inferne estis, *ego sum superne:* vos ex hoc mundo estis, ego non sum ex hoc mundo: *Joh.* 8. 23.

Sciens

Sciens Iesus *se à Deo prodiisse*, et ad Deum abire: *Joh.*13.1,3.

Prodii à Patre et veni in mundum: iterum relinquo mundum, et proficiscor ad Patrem. Dicunt ei Discipuli ejus; Ecce nunc aperte loqueris, nec similitudinem ullam dicis. Nunc scimus te scire omnia, nec opus esse tibi ut quis te interroget: per hoc credimus te *à Deo prodiisse*: Joh. 16.28,29,30.

Verba quæ tradidisti mihi, tradidi eis: et ipsi receperunt, *& verè norunt me à te prodiisse*: Joh. 17. 8.

Q. *Cujus erat consequentiæ secundum ipsius Christi judicium, quod discipuli ejus crederent ipsum à Deo prodiisse? quid ipse ait?*

R. *Ipse Pater amat vos*, quia vos me amâstis, et credidistis me à Deo prodiisse: *Johan.*16.27.

Qu. *Annon Johannes Baptista affirmat Christum supra omnes esse, quoniam supernè è Cœlo descendit? quid ipse ait?*

R. Qui *supernè venit supra omnes est*; qui è terra est, *(seu potius*, è terra erat) terrenus est, et terrena loquitur; *qui è Cœlo venit, supra omnes est*. Et quod vidit et audivit,

divit, hoc testatur: *Johan.* 3. 31, 32.

Q. *Ostendisti jam Christum similem Mosi fuisse quatenus vidit Deum, & audivit ab ipso, quæ fuit loquutus. Atqui Moses etiam excelluit omnes alios Prophetas, quatenus ipse solus Legis erat lator. An ergo Christus Mosi fuit similis in lege quoque ferenda? Et an ulla legis ejus extat mentio?*

R. Alii aliorum opera portate; & ita complete *Legem Christi.* Gal. 6. 2.

Ubi igitur gloriatio? Excluſa eſt. Per quam Legem? Operum? Non: ſed *per Legem Fidei:* Rom. 3. 27.

Legem Libertatis: *Jac.* 2. 12.

Perfecta illa Lex Libertatis: *Jac.* 1. 25.

Q. *Annon verò Christus partim complevit ſeu perfecit, partim correxit Legem Mosis? Quænam hîc eſt ipſius Christi determinatio?*

R. Audiſtis *dictum fuiſſe veteribus.* Non occides; quiſquis autem occiderit, tenebitur judicio. *Ego vero dico vobis,* quicunque iraſcitur fratri ſuo temere, tenebitur judicio; quicunque verò dixerit fratri ſuo, Raca, tenebitur conſeſſu; quiſquis autem dixerit,

dixerit, fatue, tenebitur gehenna ignis.

—Audistis *dictum fuisse veteribus*, Non mœchaberis. *Ego vero dico vobis*, Quicunq; aspicit mulierem, ut eam concupiscat, jam adulteravit eam in corde suo. *Dictum est*: Quisquis dimiserit uxorem suam det ei libellum absessionis. *Ego vero dico vobis*, Quisquis dimiserit uxorem suam, extra rationem scortationis, facit ut ea mœchetur; & quisquis dimissam duxerit, mœchatur.

Rursum, audistis *dictum fuisse veteribus*, Non pejerabis, sed reddes Domino, quæ tu juraveris. *Ego vero dico vobis*, Ne jurate omnino: neque per Cœlum, quia Thronus Dei est: Neque per Terram, quia scabellum est pedum ejus: neque per Hierosolymam, quia Urbs est magni Regis.

Neque per caput tuum jures: quia non potes unum capillum album aut nigrum facere.

Esto autem sermo vester, Etiam, etiam; Non, non: quod autem supra hæc redundat, à malo est.

Audistis *dictum fuisse*; Oculum pro Oculo, & Dentem pro Dente. *Ego vero dico vobis*, Ne obsistite improbo; sed qui

te cædet in dextram tuam maxillam, obverte ei & alteram. Et ei qui velit tecum contendere; ac tunicam tuam capere, dimitte illi etiam pallium. Et quiſquis te angariabit ad miliare unum, abi cum eo duo.

Petenti abs te dato: & volentem mutuari abs te ne averſere.

Audîſtis *dictum fuiſſe*, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: *Ego vero dico vobis*, Diligite inimicos veſtros, benedicite eis qui devovent vos, benefacite eis qui oderunt vos, & precamini pro eis qui vobis infeſti ſunt, & perſequuntur vos: Ut ſitis filii Patris illius veſtri qui eſt in Cœlis. Facit enim ut Sol ſuus exoriatur ſuper malos ac bonos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos. *Mat.* 5. 21, 22, 27, 28, 31, *&c.*

Q. *Feciſti ut clarè appareat Legem Fidei (ſeu novum pactum, cujus Mediator Chriſtus fuit) præſtantiorem eſſe Lege operum (ſeu antiquo Pacto cujus Mediator Moſes extitit) Præceptorum reſpectu: Eſtne etiam illa præſtantior hâc promiſſiorum reſpectu?*

R. At nunc (*noſter ille Pontifex*) eo præſtantius miniſterium ſortitus eſt, quo etiam

eſt

eſt *præſtantioris pacti Mediator, quod præſtantioribus promiſſis ſancitum eſt*: Heb. 8. 6.

Nihil enim conſummavit Lex, ſed *ſuperintroducta ſpes potior*: Heb. 7. 19.

Q. *An abſcondita in tenebris erant meliora illa Dei promiſſa, de vita æterna & immortalitate, & non producta in lucem ſub Lege?*

R. Ieſus Chriſtus *vitam & immortalitatem* in lucem produxit per Evangelium: 2 *Tim.* 1. 10.

Q. *Quamvis Evangelii promiſſa præſtantiora ſint quàm Legis, annon tamen illa (perinde ac promiſſa Legis) propoſita ſunt ſub Fidei, & perſeverantiæ in ea, pietatis & obedientiæ, reſipiſcentiæ, adverſorum, Chriſti & ejus veritatis cauſa tolerandorum, &c. conditionibus? Quid hac de re dicit Scriptura?*

R. Prout Moſes extulit Serpentem in Deſerto, ita extolli oportet Filium hominis: Ut *quiſquis credit in eum*, non pereat ſed habeat vitam æternam. Ita enim Deus dilexit mundum, ut filium ſuum illum unigenitum dederit, ut *quiſquis credit in eum*, non pereat, ſed habeat vitam æternam. —*Qui credit in eum*, non condemnatur:

qui vero non credit, jam condemnatus est: *quia non credidit in nomen unigeniti Filii Dei.* —*Qui credit in Filium*, habet vitam æternam: *qui vero non assentitur Filio*, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. *Johan.* 3. 14, 15, 16, 18, 36.

Dicebat ergo Iesus iis Judæis qui crediderant ipsi: *Si vos manseritis in sermone meo*, verè discipuli mei eritis: *Joh.* 8. 31.

Christi enim consortes facti sumus, *si modo principium illud quo sustentamur firmum retinuerimus ad finem usque:* Heb. 3. 14.

At Christus ut Filius domui suæ præest; cujus domus sumus nos, *si modo loquendi libertatem & spem illam de quâ gloriamur, ad finem usque firmam retinuerimus.* Heb. 3. 6.

Si quis igitur sese ab his expurgârit, erit vas ad decus: 2 Tim. 2. 21.

Si secundum carnem vixeritis, futurum est ut moriamini: sed *si Spiritu actiones corporis mortificetis*, vivetis: *Rom.* 8. 3.

Resipiscite igitur & convertite vos, ut deleantur peccata vestra: *Act.* 3. 19.

Memor esto unde excideris, & resipisce, & priora opera facito: *sin minus, veniam adversum te cito*, & movebo Candelabrum tuum

tuum è loco ſuo, *niſi reſipueris*: Apoc. 2. 5.

Reſipiſce: *ſin minus, veniam adverſum te cito*, & pugnabo cum illis gladio illo oris mei: *Apoc.* 2. 16.

Si hæ noveritis, beati eritis, *ſi ea feceritis*: Joh. 13. 17.

Quiſquis venit ad me, & audit ſermones meos, *& eos præſtat*, præmonſtrabo vobis cui ſimilis ſit. Similis eſt cuipiam ædificanti domum, qui fodit, & excavavit, ſtatuitque fundamenta ſuper Petram. Ubi autem venit inundatio, illiſum eſt flumen domui illi, ſed nequivit eam quatere: fundata enim erat ſuper Petram: *Luc.* 6. 47, 48.

Si ſubſtiterimus, etiam conregnabimus: *ſi abnegamus*, & ille abnegabit nos: 2 *Tim.* 2. 12.

Si filii, etiam hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: *ſi modo cum eo patimur*, ut & cum eo glorificemur: *Rom.* 8. 17.

CAP. IX.

De Remissione Peccatorum per Christum.

Quæst.

QUtinam per Christum remissionem peccatorum accipient? Quid Petrus Apostolus ait?

R. Huic etiam omnes Prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus *quemvis qui crediderit in eum*: Act. 10. 43.

Q. *Annon Christus ipse peccata remittit? Quid ait Paulus Apostolus?*

R. Sicut & Christus *condonavit nobis*, ita & vos: *Col.* 3. 13.

Q. *An cum Christus in terra remisit peccata, remisit illa quà Deus, vel quà homo viribus ad id ac potestate ornatus à Deo? An itidem dum hodie peccata remittit in Cœlo, remittit illa quà Deus, an quà eum in finem exaltatus à Deo? produc loca Scripturæ huc pertinentia.*

R. Quum vidisset Iesus fidem eorum, dixit paralitico: Confide fili, remissa sunt tibi

tibi peccata tua. Et ecce quidam è Scribis dicebant apud se, iste blasphemat: Et quum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit; Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Utrum enim est facilius, dicere, Remissa sunt tibi peccata; an dicere: Surge & ambula? Ut autem sciatis *potestatem habere filium hominis in terra remittendi peccata* (tunc dixit paralitico) Surge, attolle tuum lectum, & abi domum tuam. Tunc ille surrexit abiitque domum suam. Turba verò cum hoc vidisset, mirata est, & glorificavit Deum, *qui dedisset talem potestatem hominibus:* Mat. 9. 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8.

Hunc Deus dextra sua sursum sublatum constituit principem ac servatorem, *ut det resipiscentiam Izraeli, & remissionem peccatorum.* Actor. 5. 31.

CAP. X.

De Regio Christi Officio.

Quæst.

ANnon Iesus Christus Rex erat futurus? Quid Angelus Gabriel Virgini Mariæ hac de re dicit?

R. Ecce, concipies in utero, & paries filium; & vocabis nomen ejus JESUM. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur; dabitque ei Dominus Deus *sedem Davidis patris ipsius. Regnabitque in domo Jacobi in æternum, & Regni ejus non erit finis.* Luç. 1. 31, 32, 33.

Q. *An Jesus Christus in possessionem Regni jui, jam est admissus, & post suam in Cœlum ascensionem sessionemque ad dextram Dei, dominium ac principatum in Homines & Angelos statim exercere cæpit? Recense aliquot clara Scripturæ loca hanc ad rem facientia?*

R. Ad sciendum, quæ sit supereminens illa magnitudo potentiæ ipsius in nobis qui credimus, pro efficacitate roboris virium ipsius:

ipsius: quod exeruit in Christo quum suscitavit eum ex mortuis, & collocavit ad dexteram suam in Cœlis. *Longe supra omne imperium ac potestatem, & potentiam, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo, verum etiam in futuro. Et omnia subjecit ejus pedibus, eumq; constituit caput super omnia Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, & complementum ejus, qui omnia implet in omnibus:* Eph. 1. 18, 19, 20, 21, 22, 23.

Per resurrectionem Iesu Christi: qui est ad dexteram Dei protectus in Cœlum, *subjectis ipsi angelis, & potestatibus ac virtutibus:* 1 Pet. 3. 21, 22.

Et a Iesu Christo, qui est fidus ille testis, primogenitus ille ex mortuis, *ac Princeps regum terræ:* qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris per sanguinem suum; Et qui fecit nos Reges & Sacerdotes Deo & Patri suo: ei sit gloria & robur in secula seculorum, Amen. *Apoc.* 1. 5, 6.

Hunc Deus dextera sua sursum sublatum *constituit Principem ac Servatorem, ut det resipiscentiam Israeli, & remissionem peccatorum:* Act. 5. 31.

Qui

Qui vicerit, tribuam ei, ut sedeat mecum in Throno meo, ut & ego vici, & *sedeo cum Patre meo in Throno ejus.* Apoc. 3. 21.

Ego Iesus misi Angelum meum, ut hæc vobis testificaretur in Ecclesiis: *Apoc.* 22. 16.

Saul frater, *Dominus misit me (Iesus inquam qui visus est tibi in via qua veniebas)* ut visum recipias & implearis Spiritu Sancto: *Act.* 9. 17.

Hi cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet eos; quoniam *Dominus Dominorum est, & Rex Regum:* Apoc. 17. 14.

Et amictus erat veste tincta sanguine: vocaturque nomen ejus Sermo ille Dei. —Habebatque in vestimento, & in femore suo nomen scriptum: *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Apoc. 19. 13. 16.

Data est mihi omnis potestas in Cœlo & in Terra. Profecti ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti. Docentes eos servare omnia quæ mandavi vobis; & ecce, *vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi:* Mat. 28. 18, 19, 20.

Dominus igitur postquam loquutus fuisset eis, sursum receptus est in Cœlum, & se

sedit ad dexteram Dei. Illi vero profecti prædicarunt ubique *Domino cooperante, & sermonem eorum confirmante per signa subsequentia:* Marc. 16. 19, 20.

Q. *Quam ob causam, & quem in finem Iesus Christus in suum evectus est Regnum?*

R. Ipse se submisit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: *Quapropter* etiam Deus ipsum in summam extulit sublimitatem, ac donavit ei nomen quod est supra omne nomen: *Ut ad nomen IESU omne genu flectat* Cœlestium ac Terrestrium & subterraneorum. *Omnisq; lingua profiteatur Iesum Christum esse dominum ad gloriam Dei Patris:* Phil. 2. 8, 9, 10, 11.

Hunc Deus dextera sua sursum sublatum, constituit Principem ac Servatorem, *ut det resipiscentiam Israeli, & remissionem peccatorum:* Act. 5. 31.

Q. *Quomodo homines oportet honorare Iesum Christum Filium Dei?*

R. Prout honorant Patrem: *Joh. 5. 23.*

Q. *Quid in eo periculi est si quis non honoret Filium?*

R. Qui non honorat Filium non honorat Patrem, ut qui misit eum: *Joh. 5. 23.*

Q. *An*

Q. *An homines oportet Filium honorare quemadmodum Patrem honorant, quod* eandem *cum Patre habeat* eſſentiam, *an verò quòd* eandem *habeat* poteſtatem judiciariã? *Quidnam ipſe filius hac de re pronunciat?*

R. Nec enim Pater judicat quemquam, ſed *omne judicium dedit Filio. Ut omnes honorent Filium, prout honorant Patrem:* Joh. 5. 22, 23.

Q. *An Pater poteſtatem judiciariam Filio dedit quia* divinam in ſe naturam *habuit* humanæ perſonaliter unitam, *an quia* Filius hominis *fuit? Quid hac quoque de re Filius ipſe pronunciat?*

R. Authoritatem ei dedit etiam judicium exercendi, quoniam *Filius hominis eſt:* Joh. 5. 27.

Q. *An Deus vult Ieſum Chriſtum ab Angelis & Hominibus adorari?*

R. Quum inducit primogenitum in orbem terrarum, dicit, *& adorent eum omnes Angeli Dei:* Heb. 1. 6.

Deus ipſum in ſummam extulit ſublimitatem, ac donavit ei nomen quod eſt ſupra omne nomen: *Ut ad nomen Ieſu omne genu ſe flectat cœleſtium ac terreſtrium, & ſubterraneorum:* Phil. 2. 9, 10.

Q. *An*

Q. *An homines Iesum Christum adorarunt ante mortem ac resurrectionem ejus? Quænam hujus rei habes exempla?*

R. Qui autem erant in Navigio, venientes *adorarunt eum* dicentes; Vere Dei Filius es: *Matt.* 14. 33.

Dixit ei Iesus; Credis in Filium Dei? Respondit ille & dixit, Quis est, Domine, ut credam in eum? Dixit autem ei Iesus; Et vidisti eum, & is est qui loquitur tecum. At ille ait, Credo Domine, & odoravit eum, *Joh.* 9. 35, 36, 37.

Q. *An homines Christum adorârunt post ipsius resurrectionem atque ascensionem? Et quodnam hujus rei habes exemplum?*

R. Et factum est, ut dum ipse benediceret eis, disjunctus ab eis sursum ferretur in Cœlum: Ipsi autem *adorato eo*, reversi sunt Hierosolymam, cum gaudio magno: *Luc.* 24. 51, 52.

Q. *Cum homines in Scriptura gloriam ac dominium Iesu Christo adscribunt, simulque fundamentum ejus rei insinuant, an id faciunt propterea quod concipiant ipsum esse* Deum de Deo & ab æterno ex essentia divina genitum, *an vero quod* seipsum tradiderit in mortem?

mortem? *Audiamus quomodo illi ſeſe explicent.*

R. Ei, qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris per ſanguinem ſuum, Et qui fecit nos Reges & Sacerdotes Deo & Patri ſuo: *ei* ſit gloria & robur in ſecula ſeculorum: *Apoc.*1.5,6.

Q. *An Angeli ejuſdem tum Sanctis ſunt ſententiæ dum ipſi quoque gloriam ac dominium illi attribuunt?* Audiamus igitur quomodo ipſi quoque ſeſe explicent.

R. Aſpexi & audivi vocem Angelorum multorum; —Dicentes voce magna; Dignus eſt agnus ille *mactatus*, qui accipiat poteſtatem, & divitias, & ſapientiam, & vires & honorem, & gloriam, & benedictionem: *Apoc.*5.11,12.

Q. *An licet hominibus nomen Ieſu Chriſti invocare? Et an exempla habes talium, qui preces ad ipſum direxerint?*

R. Reſpondit autem Ananias; Domine, audivi ex multis de viro iſto, quod malis affecerit ſanctos tuos Hieroſolymis.

Quin etiam hoc loco habet poteſtatem à Principibus Sacerdotum, *vinciendi omnes qui invocant nomen tuum.* Act.9.13,14.

Cum

Cum omnibus *qui invocant nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, quovis loco, Domini inquam, tum ipſorum tum noſtri*: 1 Cor. 1. 2.

Lapidarunt Stephanum, invocantem & dicentem, Domine Ieſu recipe Spiritum meum: *Act.* 7. 59.

Veni igitur Domine Ieſu: *Apoc.* 22. 20.

Ipſe vero Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & Deus ac Pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam & ſpem bonam per gratiam, Conſoletur veſtra corda, & ſtabiliat vos in omni ſermone & opere bono: 2 *Theſſ.* 2. 16, 17.

Ipſe vero Deus & Pater noſter, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, dirigat viam noſtram ad vos: 1 *Theſſ.* 3. 11.

CAP. XI.

De Sacerdotali Chriſti Officio.

Quæſt.

A *Non Ieſus Chriſtus Sacerdos eſt?*

R. Habentes Pontificem magnum, Jeſum Filium Dei: *Heb.* 4. 14.

Q. *Annon Chriſtus hunc ſibi honorem tribuit?*

R. Chriſtus

R. Christus non ipse hunc sibi honorem tribuit, ut fieret Pontifex; sed is qui dixit ei; Filius meus es tu, ego hodie genui te: *Heb.* 5. 5.

Q. *Qualis Sacerdos summus est Christus?*

R. Talem nos habemus Pontificem, qui consedit ad dexteram Throni Majestatis illius in Cœlis. Sanctuarii minister, ac veri illius Tabernaculi, quod fixit Dominus, & non homo: *Heb.* 8. 1, 2.

Q. *Annon Christus fuit Sacerdos cum esset in terra, seu cum moreretur in Cruce?*

R. Si esset in terra, ne Sacerdos quidem esset, manentibus illis Sacerdotibus, qui secundum Legem offerunt dona: *Heb.* 8. 4.

Idque eo amplius manifestum est, quod ad similitudinem Melchisedeci exoritur Sacerdos alius. Qui non ex Lege cujus præceptum sit carnale, factus est Sacerdos, sed *ex vi indissolubilis vitæ*: Heb. 7. 15, 16.

Q. *Quodnam beneficium provenit ex Christi Sacerdotio?*

R. Factus est author Salutis æternæ,——Cognominatus à Deo Pontifex secundum ordinem Melchisedeci: *Heb.* 5. 9, 10.

Q. *Quibus est Christus quâ Sacerdos factus author æternæ Salutis?* R. Omni-

R. Omnibus ei auſcultantibus: *Heb.* 5. 19.

Q. Quomodo poteſt Chriſtus ſervare illos per Sacerdotium ſuum?

R. Servare perfecte poteſt eos, qui per ipſum accedunt ad Deum, *ſemper vivens ut interpellet pro eis:* Heb. 7. 25.

Chriſtus ſemel oblatus, ut auferret multorum peccata: *Heb.* 9. 28.

Q. Annon Chriſti ſacrificium debet repeti, quemadmodum ſacrificium Sacerdotum Leviticorum? Si non, quænam ejus rei eſt ratio?

R. Omnis Sacerdos adſtat quotidie ſacro miniſterio defungens, & eaſdem ſæpius offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata. Hic vero una pro peccatis oblata in perpetuum victima, conſedit ad dextram Dei: Quod reliquum eſt expectans, donec inimici ipſius ſtatuantur ſcabellum pedum ejus. *Unica enim oblatione conſummavit in perpetuum eos qui ſanctificantur:* Heb. 10. 11, 12, 13, 14.

Q. Quomodo intravit Chriſtus in Sanctuarium ad ſe offerendum?

R. Per proprium ſanguinem: *Heb.* 9. 12.

Q. *Quare Deus voluit Christum per perpessiones adire suum munus Sacerdotale?*

R. Decebat enim ut ipse propter quem sunt hæc omnia, & per quem sunt hæc omnia, multos filios in gloriam adducendo, Principem salutis ipsorum, per perpessiones consummaret. —*Ut misericors esset & fidelis Pontifex* in iis quæ apud Deum, ad expianda peccata populi. Nam ex eo quod perpessus fuit, quum tentatus est, potest & iis qui tentantur succurrere: *Heb.* 2. 10, 17, 18.

Q. *Quisnam est verus ac genuinus usus, quem hujus rei oporteat nos facere?*

R. Habentes igitur Pontificem magnum qui transivit Cœlos, Iesum Filium Dei, retineamus *hanc* professionem. Non enim habemus Pontificem qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum in omnibus similiter, absque *tamen* peccato. *Accedamus igitur cum loquendi libertate ad Thronum Gratiæ; ut consequamur misericordiam, & gratiam inveniamus, ad opportunum auxilium:* Heb. 4. 14, 15, 16.

CAP.

CAP. XII.

De Morte Christi.

Quæst.

AN Dei erat voluntas ac propositum ut Christus mortem crucis subiret? Quid Apostolus Petrus Judæis hac de re dicit?

R. Iesum illum Nazaræum virum à Deo approbatum apud vos, —Hunc *inquã* definito illo consilio, & præcognitione Dei deditum quum accepistetis, manibus sceleratis *Cruci* affixum intermistis: *Actor.* 2, 22, 23.

Q. *Quid Discipuli eadem de re conjunctim dicunt?*

R. Concorditer sustulerunt vocem ad Deum, dixeruntque. —Congregati sunt— —adversus Sanctum Filium tuum Iesum quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus cum Gentibus & populis Izraelis, *ut facerent quæcunque manus tua & consilium tuum prius prædestinavit ut fierent:* Actor. 4. 24, 27, 28.

Q. *An Christus mortuus est ut Deum no-*

bis reconciliaret eumque ad nos adduceret, an vero è contrario, ut nos Deo reconciliaret atque ad eum adduceret?

R. Quum inimici eſſemus, *reconciliati ſuimus Deo per mortem Filii ejus:* Rom. 5. 10.

Ipſe eſt pax noſtra, qui utraque fecit unum. —Ut *utroſque* in uno corpore *reconciliaret Deo* per Crucem, peremptis inimicitiis per eam: *Eph.* 2. 14, 16.

Deus erat in Chriſto *mundum reconcilians ſibi:* 2 Cor. 5. 19.

Chriſtus ſemel pro peccatis paſſus fuit, juſtus pro injuſtus: ut *nos ad Deum adduceret:* 1 Pet. 3. 18.

Q. *Pro quibus mortuus eſt Chriſtus?*

R. Ut qui hoc ſtatuerimus, ſi unus *pro omnibus mortuus fuit*, nempe iſtos omnes fuiſſe mortuos, & *illum* pro omnibus mortuum eſſe, ut qui vivunt, poſthac non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & ſuſcitatus eſt: 2 *Cor.* 5. 15.

Unus eſt Mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus, Qui ſeſe ipſe dedit *Redemptionis pretium pro omnibus*, teſtimonium illud præſtitutis ſuis temporibus: 1 *Tim.* 2. 5, 6.

Ieſum

Iesum illum cernimus gloria & honore coronatum, qui paulisper fuit inferior Angelis factus propter mortis perpessionem: ut beneficio Dei *pro omnibus mortem gustaret:* Heb. 2, 9.

Ego sum panis ille vivus qui è Cœlo descendi: Si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum: panis autem quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo *pro mundi vita:* Joh. 6. 51.

Q. *Quænam fuit occasio causaque mortis Christi?*

R. Traditum *morti* propter offensas nostras: *Rom.* 4. 25.

Vulneratus fuit *propter nostras transgressiones*; attritus fuit *propter iniquitates nostras:* Isa. 53. 5.

Christus mortuus est *pro peccatis nostris* secundum Scripturas: 1 *Cor.* 15. 3.

Q. *Quinam sunt fines passionis & mortis Christi commemorati à Scriptura?*

R. Ex iis quæ passus est *didicit obedientiam:* Heb. 5. 8.

Christus passus est pro nobis, *relinquens nobis exemplar,* ut subsequeremini vestigia ipsius: 1 *Pet.* 2, 21.

Christus semel pro peccatis passus fuit, justus pro injustis; *ut nos ad Deum adduceret:* 1 Pet. 3, 18.

Hoc est sanguis meus Novi Fœderis, qui pro multis effunditur in *remissionem peccatorum:* Mat. 26. 28.

Ut per mortem *aboleret eum penes quem est mortis robur*, hoc est Diabolum: Et liberos redderet, quotquot metu mortis per omnem vitam damnates erant servitutis: *Heb.* 2. 14, 15.

Ut sanctificaret populum per proprium sanguinem: *Heb.* 13. 12.

Ut sive vigilemus, sive dormiamus, *simul eum eo vivamus:* 1 Thess. 5. 10.

Ut qui vivunt, *posthac non sibi vivant*, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & suscitatus est: 2 *Cor.* 5. 15.

Qui dedit semet ipsum pro peccatis nostris, *ut eximeret nos ex præsenti seculo malo:* Gal. 1. 4.

Vos qui olim eratis longinqui, *propinqui facti estis* per sanguinem Christi. Ipse enim est pax nostra, qui utraque fecit unum, & intergerini parietis septum solvit: *Inimicitiis Lege Præceptorum in Ritibus per carnem*

nem suam abolitis; ut ex duobus illis conderet in semet ipso unum novum hominem, faciens pacem. Et utrosque in uno corpore reconciliaret Deo per crucem, peremptis inimicitiis per eam: Eph. 2. 13, 14, 15, 16.

Libuit *Patri* ut omnis plenitudo in eo inhabitaret: Et ut pace per sanguinem crucis ejus facta per eum reconciliaret omnia sibi, per eum, *inquam*, tum quæ in terra tum quæ in Cœlis. Itaque vos quum essetis quondam abalienati, & hostes, mente operibus malis *intenta, nunc sane reconciliavit, In corpore illo carnis suæ, per mortem:* Col. 1. 19, 20, 21, 22.

CAP. XIII.

De Universalitate Charitatis, seu Amoris Dei.

Quæst.

ISta Scripturæ testimonia, *qua jam à te sunt allata, cum quærerem pro quibus mortuus esset Christus, ostendunt Universalitatem Amoris Dei ergo bovines; nihil ominus*

tamen quoniam res hæc maximi est momenti, sine cujus cognitione ac fide, nullum possumus habere verum ac solidum ad Deum accedendi fundamentum, (nàm si ille ab omni æternitate bonum *paucis quibusdam duntaxat decernebat, illique adeò pauci in sacris voluminibus, (quæ scripta sunt ut nos per eorum consolationem spem habeamus,* Rom. 15. 4.) *haud sunt expressi, nemo mortalium certò, aut saltem probabiliter potest inferre, se in numero istorum paucorum contineri, cum contrarium sit vero simlius, vix uno ex decem millibus inter illos paucos existente) quænam alia Scripturæ & quidem clara habes testimonia, quæ ostendant Deum in mittendo Christo, nec non Euangelio proponendo, non intendisse salutem electorum certo numero definitorum, sed hominum in genere?*

R. Ita Deus dilexit *mundum,* ut Filium suum illum unigenitum dederit, ut *quisquis* credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut damnet mundum, sed ut servetur *mundus* per eum: *Johan.* 3. 16, 17.

Panis ille Dei is est qui de Cœlo descendit

ſcendit, & dat vitam *mundo*: Joh. 6. 33.

Non amplius propter tuos ſermones credimus; ipſi enim audivimus, & ſcimus hunc eſſe vere Servatorem illum *Mundi*, Chriſtum: *Joh.* 4. 42.

Nos vero ſpectavimus & teſtamur Patrem miſiſſe Filium qui eſſet Servator *Mundi*: 1 *Joh.* 4. 14.

Ego lux in mundum veni, ut *quiſquis* credit in me, in tenebris non maneat. Si quis autem audierit verba mea, & non crediderit, ego non damno ipſum: Non enim veni ut damnem mundum; ſed ut ſervem *mundum*: Joh. 12. 46, 47.

Profecti *in mundum univerſum*, Prædicate Euangelium *omni creaturæ*: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſervabitur; qui vero non crediderit, condemnabitur: *Mar.* 16. 15, 16.

Siquidem permanetis in fide fundati & ſtabiles, nec dimovemini à ſpe Euangelii quod audiſtis, prædicati *omni creaturæ quæ ſub Cœlo eſt*, cujus factus ſum ego Paulus miniſter: *Col.* 1. 23.

Quem nos annunciamus, admonentes *omnes & omnes* erudientes in omni ſapientia, ut

ut *omnes* sistamus perfectos in Christo Iesu: *Col.* 1. 28.

Adhortor ut fiant deprecationes, preces, interpellationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus. —Nam hoc bonum est & acceptum in conspectu Servatoris nostri Dei; *Qui omnes homines vult servari, & ad agnitionem veritatis venire*: 1 Tim. 2. 1, 3, 4.

Non tardat Dominus Promissionem, (ut nonnulli tarditatem *hanc esse* ducunt) sed patiente est animo erga nos, *nolens ullos perire, sed omnes ad resipiscentiam tendere*: 2 Pet. 3. 9.

Deus erat in Christo *mundum* reconcilians sibi, non imputando eis offensas eorum: 2 *Cor.* 5. 19.

Advocatum apud Patrem habemus, Iesum Christum justum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; nec pro nostris solum, sed etiam pro *totius mundi peccatis*: 1 Joh. 2. 1, 2.

Q. *Isthæc loca modo à te citata omnia sunt ex Novo Fœdere desumpta; Annon universalitatis Amoris Dei similis manifestatio etiam extat in Fœdere Antiquo? Quomodo Prophetæ Ezechiel loquitur?*

R. Dic

R. Dic eis, *Ne* vivam ego, dictum Domini Jehovi, si delector morte improbi; sed delector cum revertitur improbus à via sua, ut vivat: revertimini, revertimini à viis vestris pessimis; cur enim moreremini, *domus Izraelis?* Ezech. 33. 11.

Abjicite à vobis omnes defectiones vestras quibus defeciſtis, & facite vobis cor novum: nam quare moreremini, *ô domus Izraelis?*

Non enim delector morte morientis, dictum Domini Jehovi; avertite itaque vos, & vivite: *Ezech.* 18. 31, 32.

Q. *Quid dicit Jeremias?*

R. Non affligit ex animo suo, mœstitiaque afficit filios viri: *Lament.* 3. 33.

Q. *Quid dicit David?*

R. Gratiosus & misericors est Jehova, longanimis & magnus benignitate. Bonus est Jehova *omnibus*, & misericordia ejus *in omnibus operibus ejus:* Psal. 145. 8, 9.

CAP.

CAP. XIV.

De Christi Resurrectione.

Quæst.

AN Christum oportuit, ut pati, ita etiam à mortuis tertio die resurgere?

R. Ita scriptum est, & ita oportuit Christum pati, & *resurgere ex mortuis tertio die:* Luc. 24. 46.

Et suscitatum tertio die, secundum Scripturas: 1 *Cor.* 15. 4.

Qu. *An magna adeo vis magnique momenti erat fructus Resurrectionis Christi? Quomodo loquitur Paulus?*

R. Quin etiam certe duco omnia damnum esse propter eminentiam notitiæ Christi Iesu Domini mei:—Ut cognoscam eum, & *vim resurrectionis ejus:* Philip. 3. 8, 10.

Quod si Christus non est suscitatus, inanis est fides vestra; adhuc estis in peccatis vestris. Et qui obdormierunt in Christo, perierunt: 1 *Cor.* 15. 17, 18.

Christus *is est*, qui mortuus est, imo verò qui etiam suscitatus est: *Rom.* 8. 34.

Qu.

Qu. *Quomodo Petrus loquitur?*

R. Benedictus *eſto* Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ex multa ſua miſericordia *regenuit nos in ſpem vivam per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis:* 1Pet. 1. 3.

Qu. *An Chriſtus reſurrexit virtute propriâ, aut ſi mavis, an ipſe ſuſcitavit ſeipſum? An vero virtute alterius reſurrexit, ſive alius ipſum reſuſcitavit? Quænam eſt perpetua Scripturæ analogia quod ad hanc rem attinet?*

R. Etſi crucifixus fuit ex infirmitate, vivit tamen *ex potentia Dei:* 2 Cor. 13. 4.

Suſcitatus eſt Chriſtus ex mortuis *in gloriam Patris:* Rom. 6. 4.

Sed per Ieſum Chriſtum ac Deum Patrem, *qui ſuſcitavit eum ex mortuis:* Gal. 1. 1.

Si Spiritus *ejus qui ſuſcitavit Ieſum ex mortuis* habitat in vobis; *is qui excitavit Chriſtum ex mortuis,* vivificabit etiam mortalia corpora veſtra, per inhabitantem ipſius Spiritum in vobis: *Rom.* 8. 11.

Ut *qui ſuſcitavit Dominum Ieſum,* nos quoque per Ieſum ſuſcitet: 2 *Cor.* 4. 14.

Et

Et quomodo converteritis vos ad Deum relictis Idolis, ut serviretis *Deo* vivo & vero, Et exspectaretis Filium ejus è Cœlis, *quem suscitavit à mortuis*, nempe *Iesum* nos eruentem ab ira illa ventura: 1 *Thess.* 1, 9, 10.

Notum sit omnibus vobis, & toti populo Izraelitico, per nomen Iesu Christi Nazaræi, quem vos crucifixistis, *quem Deus suscitavit ex mortuis*, per hoc, *inquam*, istum adstare sanum in vestro conspectu: *Actor.* 4. 10.

Deus verò pacis, *qui* Dominum nostrum Iesum *ex mortuis reduxit*; Heb. 13. 20.

Deus autem *suscitavit eum ex mortuis*. Deum videlicit eam (*promissionem*) impleviſſe —nobis suscitato Iesu. Quod autem suscitaverit eum ex mortuis. —At is quem Deus suscitavit, non sensit corruptionem: *Actor.* 13. 30, 33, 34, 35.

Hunc *Deus* suscitavit tertio die; *Actor.* 10. 40.

Deus autem & *Dominum suscitavit*, & nos suscitabit potentia sua. 1 *Cor.* 6. 14.

Per eum credentes in *Deum*, *qui suscitavit eum ex mortuis*, & gloriam ei dedit. 1 *Pet.* 1. 21.

Qu. *An*

Qu. *An Apoſtoli, ut & ipſe Spiritus Sanctus, miſſi fuerunt, ut teſtarentur quod Chriſtus ipſe ſemet reſuſcitaverit, an vere quòd Deus eum reſuſcitaverit? Quomodo loquuntur Scripturæ?*

R. Hunc Ieſum ſuſcitavit Deus; *cujus rei omnes nos ſumus teſtes:* Act. 2. 32.

Deus ille Abrahami, & Iſaci, & Jacobi, Deus, *inquam*, patrum noſtrorum glorificavit Filium ſuum Ieſum, quem vos tradidiſtis & abnegaſtis in conſpectu Pilati; —Principem—autem vitæ interemiſtis, quem Deus ſuſcitavit à mortuis, *cujus rei nos teſtes ſumus*: Act. 3. 13, 15.

Deus ille patrum noſtrorum ſuſcitavit Ieſum quem vos interemiſtis ſuſpenſum in ligno. —Hunc, *inquam*, Deus dextrâ ſuâ ſurſum ſublatum conſtituit Principem ac Servatorem. —*Et nos ei ſumus teſtes horum quæ dicimus: atque etiam Spiritus ille Sanctus*, quem dedit Deus iis qui dicto ſunt audientes ipſi: *Act.* 3. 30, 31, 32.

De Deo teſtificati ſumus, eum ſuſcitaſſe Chriſtum. 1 Cor. 15. 15.

Qu. *Quænam utilitas credere Chriſtum taliter eſſe reſuſcitatem?*

R. S

R. Si profeſſus fueris ore tuo Dominum Ieſum, & *credideris in corde tuo quod Deus eum ſuſcitavit ex mortuis, ſervaberis:* Rom. 10. 9.

Credidit Abrahamus Deo, & imputatum eſt ei ad juſtitiam. —Non ſcriptum eſt autem propter eum ſolum, quod *hoc* imputatum fuerat ei. Sed etiam propter nos, quibus futurum eſt ut imputetur, iis *nimirum*, qui credunt in eum qui ſuſcitavit Ieſum Dominum noſtrum à mortuis : *Rom.* 4. 3, 22, 24.

Qu. *Quænam eſt Pauli Apoſtoli precatio hac de re? Quomodo ipſe ad Epheſios loquitur?*

R. Ut Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater illæ gloriæ, det vobis Spiritum Sapientiæ & Revelationis per agnitionem ipſius: Illuminatis oculis mentis veſtræ; ad ſciendum, quia ſit ſupereminens illa magnitudo potentiæ ipſius in nobis, qui credimus, pro efficacitate roboris virium ipſius, Quod exeruit in Chriſto *quum ſuſcitavit eum ex mortuis:* Eph. 1. 17, 18, 19, 20.

CAP.

CAP. XV.

De Juſtificatione & Fide.

Quæſt.

Quot ſunt juſtificationis ſeu juſtitiæ genera?

R. Juſtitia, quæ eſt ex Lege; *Rom.* 10.5.

Juſtitia, quæ eſt ex Deo per fidem; *Philip.* 3.9.

Qu. *Quomodo deſcribitur juſtitia quæ eſt ex Lege?*

R. Moſes deſcribit juſtitiam quæ eſt ex Lege *quod qui præſtiterit ea, vivet per illa:* Rom. 10.5.

Qu. *Quomodo loquitur juſtitia quæ ex fide eſt?*

R. Quæ ex fide eſt juſtitia ita loquitur; Ne dixeris in corde tuo, Quis aſcendet in Cœlum? hoc eſt Chriſtum ex alto reducere. —Aut, quis deſcendet in Abyſſum? hoc eſt Chriſtum ex mortuis reducere; *Rom.* 10.6,7.

Qu. *At quid ipſa dixit,* Rom. 10.8?

R. Si professus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo quod Deus eum suscitavit ex mortuis, servaberis; *Rom.* 10. 9.

Qu. *An dum credens justificatur, Christi justitia ei imputatur? An vero sua ipsius fides imputatur ei ad justitiam?*

R. Ei qui non operatur, sed credit in eum qui justificat impium, *imputatur fides sua ad justitiam:* Rom. 4. 5.

Qu. *An Abrahamus Pater ille credentium hoc pacto est justificatus?*

R. Credidit Abraham Jehovæ, qui imputavit ei illud ad justitiam: *Gen.* 15. 16.

Qu. *Annon ejus duntaxat causâ scriptum est illud ei ad justitiam fuisse imputatum?*

R. Non scriptum est propter eum solum, quod hoc imputatum fuerat ei: sed etiam propter nos: *Rom.* 4. 23, 24.

Qu. *Quibus conditionibus? An si nimirum apprehenderimus Christi justitiam eamq; nobis ipsis applicuerimus?*

R. Si crediderimus in eum qui suscitavit Iesum Dominum nostrum à mortuis: *Rom.* 4. 24.

Qu. *Abraham credidit Deo, & imputatū est*

eſt ei illud ad juſtitiam. Annon ſufficit nobis, ſi quemadmodum ille, crediderimus? Quid Chriſtus dicit?

R. Creditis in Deum, credite etiam in me? *Joh.*14. 1.

Qu. *Quid Petrus dicit?*

R. Chriſtus manifeſtus factus eſt ultimis temporibus propter vos; *qui per eum creditis in Deum*: 1 Pet.1. 20,21.

Qu. *Annon Deus juſtificat homines ob plenum pretium quod ipſi Chriſtus loco eorum perſolverit ita ut ipſe nihil de ſuo remiſerit jure, quatenus vel unica ſanguinis Chriſti gutta ſufficere poterat ad ſatisfaciendum pro mille mundis? At ſi non, quomodo ſalvabuntur?*

R. Ut qui juſtificentur *grátis* ejus gratia, per Redemptionem factam in Ieſu Chriſto: *Rom.* 3. 24.

In quo habemus Redemptionem, per ſanguinem ipſius, Remiſſionem lapſuum ex divite ipſius gratia: *Eph.*1. 7.

Qu. *Annon Chriſtus vitam æternam meruit regnumque Cœlorum ac quiſivit pro nobis?*

R. *Donum Dei* eſt vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro: *Rom.*6. 23.

Libuit Patri veſtro *dare vobis* Regnũ illud. *Luc.*12,32.

CAP. XVI.

De Præceptorum observatione, & consideratione præmii; de Perfectione in virtute & pietate consequenda; & de discessu à Justitiâ & Fide.

Quæst.

AN *Mandata possibilia sunt observatu?*

R. Præcepta ejus gravia non sunt. 1 *Johan.* 5. 3.

Jugum meum facile est, & onus meum leve est: *Mat.* 11. 30.

Qu. *At licet Mandata observatu sint possibilia, annon tamen satis est si cupiamus, & conemur ea observare, quamvis actu non observemus? Et annon Deus hîc* velle *pro* facere *acceptat?*

R. Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed *observatio Præceptorum Dei:* 1 Cor. 7. 19.

Non quisquis dicit mihi, Domine, Domine, introibit in Regnum Cœlorum; *sed qui facit quod vult* Pater meus qui est in Cœlis. — Quisquis igitur audit ex me sermones

mones iſtos, & *eos præſtat*, aſſimilabo eum viro prudenti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram: Et quiſquis audit ex me hos ſermones, & *eos non præſtat*, aſſimilabitur viro fatuo qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam: *Mat.* 7. 21, 24, 26.

Is qui introſpexerit in perfectam illam Legem libertatis, & permanſerit in ea, quia non fuerit auditor oblivioſus, *ſed actor operis*, is, *inquam*, beatior erit *in opere ſuo*: Jac. 1. 25.

Gloria, —& honor, & pax cuivis recte *facienti bonum*, tum Judæo in primis, tum & Græco: *Rom.* 2. 10.

Si hæc noveritis, beati eritis, *ſi ea feceritis*: Johan. 13. 17.

Beati qui audiunt ſermonem Dei, & *eum obſervant*: Luc. 11. 28.

Omnes — nos manifeſtos fieri oportet coram tribunali Chriſti, ut unuſquiſq; reportet, quæ *in corpore fecerit*, congruenter ad id quod *fecerit*, ſive bonum ſive malum: 2 *Cor.* 5. 10.

Futurum eſt —ut Filius hominis veniat cum gloria Patris ſui cum Angelis ſuis: & tunc reddet unicuiq; *ſecundum facta ipſius*: Mat. 16. 27.

Ecce, venio cito ; & merces mea mecum est, ut reddam unicuique *prout opus ipsius erit* : Apoc. 22. 12.

Si vis ad vitam ingredi, *serva Mandata* : Mat. 9. 17.

Qu. *Quænam ?* Mat. 19. 18.

R. Non occides ; Non mœchaberis ; Non furaberis ; Non dices falsum testimonium. Honora patrem & matrem : Et, diliges proximum tuum ut teipsum ; *Mat.* 19. 18, 19.

Qu. *Quamvis non tantum possibile, sed etiam necessarium sit mandata servare, an tamen licet id nobis facere, ut jus ad vitam æternam & Cœlestem hæreditatem habeamus ? An licet quærere honorem, gloriam, & incorruptibilitatem bene-operando ? An Evangelii tenor hic est ut juste vivamus in expectatione spei imposterum ? Et denique an debemus pati pro Regno Dei & non (ut aliquibus rem æstimare placet) à Regno Dei ? Cedo hac de re testimonia Scripturæ ?*

R. Beati qui præstant ejus Præcepta : *ut sit eis jus in arborem vitæ, & per portas ingrediantur in civitatem* ; Apoc. 22. 14.

——Revelationis justi judicii Dei : Qui reddet

reddet unicuique ſecundum opera ipſius. Iis quidem *qui per tolerantiam quærunt boni operis gloriam, & honorem, & in corruptibilitatem*, vitam æternam: *Rom.* 2. 5, 6, 7.

Illuxit —gratia illa Dei ſalutifera omnibus hominibus: erudiens nos ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter et juſte & pie vivamus in præſenti ſeculo: *Exſpectantes beatam illam ſpem*, et illuſtrem illum adventum gloriæ magni illius Dei, et Servatoris noſtri Ieſu Chriſti: *Tit.* 2. 11, 12, 13.

Ut digni habeamini Regno Dei, *pro quo* etiam patimini; 2 *Theſſ.* 1. 5.

Qu. *An ullum habes ſcripturæ locum, qui dicat*, nos oportere credere Deum eſſe remuneratorem eorum qui ipſum requirunt, *& impoſſibile eſſe nos ei placere niſi cum tali fide accedamus ad ipſum?*

Fieri non poteſt ut abſque fide quiſquam Deo ſit gratus: nam qui accedit ad Deum, hunc credere oportet eſſe *Deum*, et præmia largiri iis qui ipſum requirunt; *Heb.* 11. 6.

Qu. *An ullum habes exemplum obſervationis Mandatorum ſub Lege? Quid David de ſe ipſo dicit?*

R. Tribuit mihi Jehova secundum justitiam meam; secundum puritatem manuum mearum restituit mihi. Quando observo vias Jehovæ, neque improbè averto me à Deo meo; Quando omnia judicia ejus in conspectu meo sunt; et statuta ejus non averto à me. — Sum integer coram eo; et caveo mihi ne iniquè agam: *Propterea* restituit Jehova mihi secundum justitiam meam; secundum puritatem manuum mearum coram oculis suis; *Psal.* 18. 21, 22, 23, 24, 25.

Qu. *Habesne ullum ejusdem rei exemplum sub Evangelio?*

R. Quicquid petierimus, accipimus ab eo, *quoniam præcepta ejus observamus*, et quæ in ipsius conspectu placent, facimus: 1 *Joh.* 3. 22.

Qu. *Annon selectissimorum exempla habes sanctorum, qui sub spe præmii Deo obedierint, ut ante, ita sub, & post Legem?*

R. Per fidem vocatus Abrahamus auscultavit Deo, abeundo in locum quem accepturus erat in hæreditatem, et exivit, nesciens quo esset venturus. Per fidem commoratus in terra promissa ut aliena, commo-

ratus

ratus in tabernaculis cum Isaac et Jacob cohæredibus ejusdem promissionis. *Expectabat enim Civitatem illam habentem fundamenta, cujus artifex & conditor est Deus:* Heb. 11. 8, 9, 10.

Per fidem Moses jam grandis renuit vocari filius filiæ Pharaonis. Potius eligens simul malis vexari cum populo Dei, quam temporariam retinere peccati fruitionem; Majores ducens divitias probrum Christi, quam Ægyptiorum thesauros; *intuebatur enim in præmii retributionem;* Heb. 11. 24. 25, 26.

Decurramus per tolerantiam propositum nobis stadium. Intuentes in fidei ducem ac consummatorem Iesum; qui pro sibi proposito gaudio sustinuit crucem, ignominia contempta, et ad dextram Throni Dei consedit; *Heb.* 12. 2.

Paulus servus Dei Apostolus autem Iesu Christi secundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis quæ est secundum pietatem: *In spe vitæ eternæ;* Tit. 1. 1.

Qu. *Annon scripturæ docent posse Christianos ad perfectionem in virtute & pietate pervenire? intentionemq; Dei ac Christi ejusque mini-*

ministrorum hanc esse ut eos ad istam perfectionem ducant? Commemora textus huc facientes.

R. Sicut elegit nos in ipso ante jactum mundi fundamentum, *ut simus sancti & inculpati in conspectu ejus* in charitate; *Eph.* 1. 4.

——Christus dilexit Ecclesiam, et semetipsum exposuit pro ea: Ut eam sanctificaret, purificatam lavacro aquæ per verbũ. Ut sisteret eam sibi gloriosam, Ecclesiam, *non habentem maculam aut rugam, aut quicquam ejusmodi*, sed ut sit *sancta & inculpata*: Eph. 5. 25, 26, 27.

Has igitur promissiones quum habeamus, dilecti, purificemus nos *ab omni inquinamento carnis ac spiritûs ad finem perducentes sanctimoniam in timore Dei*; 2 Cor. 7. 1.

Estote perfecti, ut pater vester qui est in Cœlis perfectus est; *Mat.* 5. 48.

Quod reliquum est, fratres, gaudete, perficimini; 2 *Cor.* 13. 11.

Quem nos annunciamus, admonentes omnes, et omnes erudientes in omni sapientia, ut omnes sistamus *perfectos in Christo Iesu*; Col. 1. 28.

Is dedit

Is dedit alios quidem Apostolos; alios vero Prophetas; alios autem Euangelistas; alios autem Pastores et Doctores. *Ad perfectionem Sanctorum*, ad opus Ministerii, ad ædificationem Corporis Christi: Donec perveniamus nos omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, ad mensuram plenæ statuæ Christi; *Eph*, 4. 11, 12, 13.

Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi, semper precibus certans pro vobis, *ut stetis perfecti & completi in omni voluntate Dei*, Col. 4. 12.

Ipse Deus pacis sanctificet vos totos; et *integer vester spiritus, & anima, & corpus inculpate in adventum Domini nostri Iesu Christi conserventur*; 1 Thess. 5. 23.

Ut corda vestra *inculpata stabiliat in sanctimonia coram Deo & Patre nostro*, in adventum Domini nostri Iesu Christi cum omnibus sanctis suis; 1 *Thess.* 3, 13.

Ipse vero Dominus noster Iesus Christus, & Deus ac Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, et spem bonam per gratiam, consoletur corda vestra, et *stabiliat vos in omni sermone & opere bono*. 2 Thess. 2, 16, 17.

Qui,

Qu. *An ullum habes exemplum perfectionis ante Legem?*

R. Noah vir juſtus, *integer* erat in ætatibus ſuis, ſecundum Deum indefinenter ambulabat Noah; *Gen. 6. 9.*

Dicente porro Jehova Satanæ, advertiſtine animum tuum ad ſervum meum Jobum; quod non ſit par ei in terra, vir integer ac rectus, timens Dei, et recedens à malo. *Job* 1. 8.

Qu. *An ullum habes perfectionis exemplum ſub Lege?*

R. Fuit diebus Herodis illius Regis Judææ, Sacerdos quidam nomine Zacharias, ex claſſe Abiæ; uxor vero ipſius erat ex filiabus Aaron, et nomen ejus Elizabeta.

Erant autem *juſti ambo in conſpectu Dei, incedentes in omnibus Mandatis & Conſtitutionibus Domini inculpate.* Luc. 1. 5, 6.

Qu. *An ulla habes exempla ſub Euangelio?*

R. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens nobis exemplar, ut ſequeremini veſtigia ipſius. *Qui non peccavit nec inventus fuit dolus in ore ipſius.* 1 Pet. 2. 21, 22.

Tunc vidi, et ecce *aderat* Agnus ſtans ſuper

super montem Sion, et cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentia nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis. —Hi sunt qui cum mulieribus non sunt inquinati: virgines enim sunt; hi sequuntur Agnum quocunque ierit: hi emti sunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno sacræ, Et *in quorum ore non est inventus dolus: sunt enim inculpati ante Thronum Dei.* Apoc. 14. 4, 5.

Habes aliqua capita etiam Sardibus *quæ non inquinarunt vestimenta sua*, ideoque ambulabunt mecum albati: digni enim sunt; *Apoc.* 3. 4.

Vos testes estis & Deus, *quomodo sancte & juste & inculpate inter vos, qui creditis, nos gesserimus:* 1 Thess. 2. 10.

Qu. *Si opera adeo ad Salutem sunt necessaria, quemadmodum ante ex Scriptura demonstrasti, qui fit quod Paulus dicat:* justificati sumus fide absque operibus? *An dum ita loquitur hoc agit ut excludat à justificatione opera omnia qualiacunque, an vero ea duntaxat quæ Legis sunt? Quomodo ipse explicat seipsum?*

R. Colligimus fide justificari hominem absque

Qu. *An ullum habes exemplum perfectionis ante Legem?*

R. Noah vir juſtus, *integer* erat in ætatibus ſuis, ſecundum Deum indeſinenter ambulabat Noah; *Gen.6.9.*

Dicente porro Jehova Satanæ, advertiſtine animum tuum ad ſervum meum Jobum; quod non ſit par ei in terra, vir integer ac rectus, timens Dei, et recedens à malo. *Job 1. 8.*

Qu. *An ullum habes perfectionis exemplum ſub Lege?*

R. Fuit diebus Herodis illius Regis Judææ, Sacerdos quidam nomine Zacharias, ex claſſe Abiæ; uxor vero ipſius erat ex filiabus Aaron, et nomen ejus Elizabeta.

Erant autem *juſti ambo in conſpectu Dei, incedentes in omnibus Mandatis & Conſtitutionibus Domini inculpate.* Luc.1.5,6.

Qu. *An ulla habes exempla ſub Euangelio?*

R. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens nobis exemplar, ut ſequeremini veſtigia ipſius. *Qui non peccavit nec inventus fuit dolus in ore ipſius.* 1 Pet.2.21,22.

Tunc vidi, et ecce *aderat* Agnus ſtans ſuper

ſuper montem Sion, et cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentia nomen Patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis. —Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt inquinati: virgines enim ſunt; hi ſequuntur Agnum quocunque ierit: hi emti ſunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno ſacræ, Et *in quorum ore non eſt inventus dolus: ſunt enim inculpati ante Thronum Dei.* Apoc. 14. 4, 5.

Habes aliqua capita etiam Sardibus *quæ non inquinarunt veſtimenta ſua*, ideoque ambulabunt mecum albati: digni enim ſunt; *Apoc.* 3. 4.

Vos teſtes eſtis & Deus, *quomodo ſancte & juſte & inculpate inter vos, qui creditis, nos geſſerimus:* 1 Theſſ. 2. 10.

Qu. *Si opera adeo ad Salutem ſunt neceſſaria, quemadmodum ante ex Scriptura demonſtraſti, qui fit quod Paulus dicat:* juſtificati ſumus fide abſque operibus? *An dum ita loquitur hoc agit ut excludat à juſtificatione opera omnia qualiacunque, an vero ea duntaxat quæ Legis ſunt? Quomodo ipſe explicat ſeipſum?*

R. Colligimus fide juſtificari hominem abſque

abſque operibus Legis: *Rom.* 3, 28.

Qu. *An aliunde potes oſtendere, Paulum id intendiſſe, ut à juſtificatione excluderet perfecta tantum Legis opera, quæ nullum vel gratiæ vel fidei relinquant locum; & non talia, quæ utramque includant? Et per fidem juſtificantem ipſum intellexiſſe* operantem fidem, *atque adeo talem quæ juſtitiam poſt ſe trahat?*

R. *Gratia* enim eſtis ſervati *per fidem*: (et hæc non eſt ex vobis: ſed Dei Donum eſt) *Non ex operibus*, ut ne quis glorietur. Nam ipſius ſumus opus, conditi in Chriſto Ieſu *ad opera bona*, quæ præparavit Deus ut in eis ambulemus: *Eph.* 2, 8, 9, 10.

Atqui ei qui *operatur*, merces non imputatur *ex gratia* ſed *ex debito*. Ei vero *qui non operatur, ſed credit in eum qui juſtificat impium*, imputatur fides ſua ad juſtitiam; *Rom.* 4. 4, 5.

Reſervatio ſecundum electionem gratuitam facta eſt. Quod ſi *per gratiam*, non jam *ex operibus*; alioquin gratia jam non eſt gratia. Sin *ex operibus* jam non eſt *gratia*, alioquin opus jam non eſt opus: *Rom.* 11. 5, 6.

Si

Si ii qui ex Lege, hæredes sunt, vana facta est fides, & inanis reddita est illa promissio. Nam Lex iram efficit; ubi enim non est Lex, ibi nec transgressio est. Propterea *ex fide* est *hæreditas* ut sit *per gratiam*, ut firma sit promissio toti semini: *Rom.* 4. 14, 15, 16.

In Christo Iesu neque circumcisio quicquam valet, neque præputium; sed fides *per charitatem efficax*; Gal. 5. 6.

Justus ex fide vivet. Patet enim ira Dei è Cœlo adversus omnem impietatem & injustitiam hominum, ut qui veritatem in injustitia detineant; *Rom.* 1. 17, 18.

Q. 1. *Quid igitur et responderes, qui verba Pauli in locis quibusdam Epistolarum ipsius ad Romanos & ad Galatas torquens pertenderet omnia opera bona quæcunque tandem ea sint à Justificatione ac Salute excludi, satisque esse si quis solummodo credat?*

R. Vis vero nosse, homo vane, fidem quæ est absque operibus mortuam esse? Abrahamus pater ille noster nonne ex operibus justificatus est, quum obtulisset Isacum filium suum super altare? Vides fidem administram fuisse operum ipsius, & ex o-

peribus

peribus fidem consummatam fuisse? Itaque impleta est Scriptura quæ dicit; credidit autem Abrahamus Deo, et imputatum est ei ad justitiam, et amicus Dei vocatus est. Videtis igitur ex operibus justificari hominem, & non ex fide tantum? Similiter autem etiam Rahab illa meretrix, annon ex operibus justificata est, quum accepisset nuncios illos, & alia via emisisset? Nam sicut corpus absque spiritu mortuum est, ita & fides illa quæ est absque operibus mortua est: *Jacob.* 2. 20, 21, 22, 23, 24, 25, 26.

Qu. *Quænam Pauli ad Titum est admonitio, de negotio Fidei, Operum, & Legis?*

R. Certus est hic sermo, & hæc volo te asseverare, *ut qui crediderunt Deo, curent bene agendo præire. Hæc illa sunt bona & hominibus utilia:* Stultas autem quæstiones & genealogias & contentiones *ac pugnas legales cohibe, sunt enim inutiles & vanæ.* Tit. 3. 8, 9.

Qu. *Ostendisti modo ex Paulo fidem ejus qui servari velit oportere justitia seu rectitudine comitatam esse; proinde aveo ex te scire quisnam sit justus? Annon is qui* apprehendit

dit sibique applicat justitiam Christi, aut saltem *cupit juste agere? Annon is acceptus est Deo?*

R. Nemo vos seducat, *qui exercet justitiam, justus* est sicut ille justus est. Qui dat operam peccato, ex diabolo est; quoniam à principio diabolus peccat: —Per hoc manifesti sunt Filii Dei & filii diaboli: *quisquis non dat operam justitiæ, non est ex Deo.* 1 Joh. 3. 7, 8, 10.

Si scitis eum justum esse, nostis, *quicunq; exercet justitiam, ex ipso natum esse:* 1 Joh. 2. 29.

Vere deprehendo Deum non respicere ad personam: Sed in quavis gente acceptũ ei esse quemvis qui eum timeat, *& operam det justitiæ:* Actor. 10. 34, 35.

Nam quum quis erit justus, exercebitque jus & justitiam, In istis montibus non comederit, & oculos suos non sustulerit ad stercoreos Deos domùs Izraelis, uxoremq; proximi non polluerit, & ad uxorem ex immunditia separatam non appropinquaverit; Neminemq; oppresserit, pignus suum debitori reddiderit, rapinam non rapuerit, panem suum esurienti dederit, & nudum o-

peruerit veste; In usuram non dederit, & fœnus non acceperit, ab iniquitate retraxerit manum suam, jus verum exercuerit inter unum & alterum; In statutis meis fideliter ambulaverit, juraque mea observaverit colendo veritatem, *justus hic* omnino vivet, dictum Domini Jehovi. *Ezech.*18.5, 6, 7, 8, 9.

Qu. *Annon possunt justi à justitia & credentes à fide sua deficere adeoque perire? Et annon falsum est illud*, semel in Christo, & semper in Christo?

R. Quum avertens se justus à justitia sua facit iniquitatem, secundum omnes abominationes quas fecerit improbus facit, hiccine viveret? Omnia justa facta ejus quæ fecerit non commemorabuntur, propter prævaricationem ipsius quâ prævaricatur, & propter peccatum ipsius quo peccat, propter hæc morietur; *Ezech.* 18. 24.

Quum dixero justo, omnino victurus es, si ipse confisus justitiæ suæ fecerit iniquitatem, omnia juste facta ipsius non memorabuntur, sed in iniquitate illa sua quam facit morietur: *Ezech.*33. 13.

Spiritus autem diserte dicit, fore, ut posterioribus

ſterioribus præſtitutis temporibus, deſciſcant *quidam à fide*, attenti ſpiritibus deceptoribus, ac doctrinis dæmoniorum: 1 *Tim.* 4.1.

Hoc mandatum commendo tibi, fili Timothee, *nempe*,— ut milites bonam illam militiam: Retinens fidem & bonam conſcientiam; *qua expulſa, nonnulli naufragium fidei fecerunt.* Ex quibus eſt Hymenæus & Alexander; quos tradidi Satanæ, ut caſtigati diſcerent non blaſphemare: 1 *Tim.* 1.18, 19, 20.

Porro juniores viduas rejice; poſtquam enim laſcivierunt adverſus Chriſtum, nubere volunt: Damnandæ, *quod primam fidem irritam fecerint*: 1 Tim. 5.11, 12.

Radix omnium malorum eſt amor pecuniæ; quam quidam dum appetunt, *aberrarunt à fide*, & ſeipſos undiquaque tranſfixerunt doloribus multis: 1 *Tim.* 6.10.

Sermo eorum depaſcet ut gangræna; ex quibus eſt Hymenæus & Philetus: *Qui circa veritatem aberrârunt* à ſcopo, dicentes reſurrectionem jam eſſe factam: *& ſubvertunt quorundam fidem*: 2 Tim. 2.17, 18.

Videte, fratres, ne quando ſit in ullo ve-

strûm cor malum incredulum, *desciscendo à Deo vivo.* Sed exhortamini alii alios quotidie, —*ne quis ex vobis induretur seductione peccati.* Heb. 3. 12, 13.

Studeamus igitur ingredi in illam requiem, *ne quis in idem incidat contumaciæ* (seu incredulitatis) *exemplum*: Heb. 4. 11.

Fieri non potest ut qui semel fuerint illuminati, gustaverintque donum illud cœleste, & participes facti fuerint Spiritûs Sancti, Gustaverintque bonum Dei verbũ, ac virtutes futuri seculi: *Si prolabantur, denuo renoventur ad resipiscentiam.* Heb. 6. 4, 5, 6.

Observemus alii alios, ut nos acuamus ad charitatem & bona opera: *Non deserentes aggregationem nostri mutuam, sicut mos est quibusdam,* sed adhortantes alii alios: —Nam *si ultrò peccaverimus post acceptam cognitionem veritatis,* non adhuc pro peccatis reliqua est hostia. —Qui aspernatus fuerit Mosis Legem absque misericordia ex duorum aut trium testimonio morietur: Quanto (putatis) acerbiore supplicio dignus censebitur qui Filium Dei conculcaverit, & *Sanguinem Fœderis, per quem*

fuerat

fuerat ſanctificatus, profanum duxerit, & Spiritum Gratiæ contumelia affecerit? —Ne igitur abjicite liberam illam confeſſionem veſtram, quæ magnam habet præmii retributionem. Juſtus ex fide vivet; *at ſi quis ſe ſubduxerit,* non probat eum animus meus. *At nos non ii ſumus qui nos ſubducamus ad exitium;* ſed qui credamus ad animæ ſalutem: *Heb.* 10. 24,25,26,28.29,35,38,39.

Proſpicientes *ne quis deficiat à gratia Dei.* Heb. 12.15.

Execrandi Homines, *qui derelicta recta via aberrarunt,* ſequuti viam Balaam filii Boſor, qui mercedem iniquitatis amavit. —Nam quæ prætumida vanitas ipſis dictavit loquendo, eos ineſcant per carnis cupiditates laſcivas, *qui vere effugerant abiis qui in errore verſantur:* —Nam ſi poſtquam pollutiones mundi per agnitionem Domini ac Servatoris Ieſu Chriſti effugerint, *his rurſum implicati ſuperentur,* facta eſt ultima eorum conditio priore deterior. Melius enim fuiſſet eis non cognoviſſe viam juſtitiæ, quam cognita illa, *regredi à ſancto Præcepto ſibi tradito.* Sed accidit eis quod vero proverbio dici ſolet; Canis re-

versus est ad suum ipsius vomitum, &, Sus lota, ad volutabrum cœni. 2 *Pet.*2, 14, 15, 16, 20, 21, 22.

Vos igitur dilecti *istorum* præscii quum sitis, cavete, *ne illorum nefariorum errore cum illis abducti, excidatis à propria stabilitate:* 2Pet.3.17.

Quamobrem & ego non amplius *me* continens, misi *eum* ut cognoscerem fidem vestram; *veritus ne quo modo tentasset vos tentator ille, & inanis redditus esset labor noster;* 1 Thess. 3.5.

Per incredulitatem defracti sunt: tu vero per fidem stas; ne effertor animo, sed metue. Nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, vide ne tibi quoque non parcat. Vide igitur benignitatem ac præcisam severitatem Dei, in eos quidem qui ceciderunt præcisam severitatem; in te vero benignitatem, *si permanseris in benignitate: alioquin & tu exscinderis:* Rom.11. 20, 21, 22.

Verum si propter escam frater tuus tristitiâ afficitur, non jam secundum charitatem ambulas. *Ne escâ tuâ illum perdito pro quo Christus mortuus est:* Rom.14.15.

Tua ista cognitione *frater infirmus, propter*

pter quem Chriſtus eſt mortuus, peribit? 1 Cor. 8. 11.

Contundo corpus meum, & in ſervitutem redigo: *ne quo modo, quum aliis prædicarim, ipſe rejectaneus fiam.* 1 Cor. 9. 27.

Niſi quis manſerit in me abjectus extra *vineam*, ſtatim ut palmes areſcet. *Joh.* 15. 6.

Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollit. *Joh.* 15. 2.

CAP. XVII.

De Officio Subditorum & Magiſtratuum; Uxorum & Maritorum; Liberorum & Parentum; Servorum & Dominorum.

Quæſt.

Quodnam eſt iſtorum omnium qui *ſub poteſtate ſunt officium?*

R. Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus *ſubjecta eſto.* Rom. 13. 1.

Qu. *Cur illis debet omnis anima ſubjecta eſſe?*

R. Non enim eſt poteſtas niſi à Deo; & quæ ſunt poteſtates, ſunt à Deo ordinatæ. *Rom.* 13. 1.

Qu. *Quid illi faciunt qui potestati obsistunt; & quid iidem sibi ipsis auferent?*

R. Quisquis obsistit potestati, Dei ordinationi obsistit; qui autem obsistunt, ipsi sibi condemnationem auferent. *Rom.*13.2.

Qu. *Cur illi qui potestati obsistunt damnationem sibi ipsis auferent?*

R. Nam Magistratus non sunt metui bonis operibus, sed malis: *Rom.*13.3.

Qu. *Quomodo oportet se gerere hominem ne potestatem metuat; & unde id evenit?*

R. Vis —non metuere potestatem? quod bonum est facito, & laudem ab ipsa obtinebis. Dei enim minister est tuo bono. Quod si feceris quod malum est, metue: non enim frustra gladium gerit; nam Dei minister est, vindex ad iram ei qui quod malum est fecerit: *Rom.*13.3, 4.

Qu. *Annon metus iræ seu pœnæ sola causa motiva subjectionis est?*

Necesse est subjici, non solum propter irã sed etiã propter conscientiã. *Rom.*13.5.

Qu. *Annon etiam tributum ac vectigal potestatibus supereminentibus pendere debemus?*

R. Reddite omnibus quod debetis, cui tributum *debetur*, tributum: et cui vectigal, vectigal, *Rom.* 13.7.

Qu.

Qu. *Cur iis tributum debemus solvere?*

R. Propter hoc enim etiam tributa solvitis: siquidem Dei sunt ministri in hoc ipsum incumbentes: *Rom.*13. 6.

Qu. *Quamvis illa quæ ex Paulo adduxisti loca, Magistratûs officium declarant; annon tamen habes aliquem Scripturæ locum qui illud expresse describat?*

R. Qui dominatur hominibus istis justus esto; dominans intimore Dei. 2*Sam.*23.3.

Qu. *Quid ad ipsum beneficii redundat qui hoc pacto dominatur?*

R. Et *erunt*, ut quum lucente mane oritur Sol: ut mane non nubilo herba tenera è terrâ *existit* è splendore post pluviam: 2 *Sam.* 23. 4.

Qu. *Quodnam est Uxorum & Maritorum officium secundum Doctrinam duorum magni nominis Apostolorum Pauli ac Petri? Recense verba ipsorum.*

R. Uxores propriis viris subjicite vos, ut Domino. Quoniam vir est caput Uxoris, ut & Christus est caput Ecclesiæ: & is qui salutem dat corpori. Itaque sicut Ecclesia sese subjicit Christo, ita & Uxores suis viris sese subjiciunto in omnibus. Viri dili-

diligite Uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & exposuit semet ipsum pro ea : Ut eam sanctificaret, purificatam lavacro aquæ per verbum. Ut sisteret eam sibi glorioſam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut quicquam ejusmodi, sed ut sit sancta & inculpata. Ita debent viri diligere suas Uxores ut sua ipsorum corpora. Qui diligit suam Uxorem seipsum diligit. Nullus enim unquam suam ipsius carnem odio habuit: imo enutrit & fovet eam, sicut & Dominus Ecclesiam. Quoniam membra sumus corporis ejus, ex carne ejus, & ex ossibus ejus. Propterea derelinquet homo Patrem suũ, ac Matrem, & agglutinabitur Uxori suæ; & qui duo *erant*, fient una caro. Mysterium hoc magnum est; loquor autem de Christo & Ecclesia. Itaque & vos singuli suam quisque Uxorem ita diligito ut seipsum, Uxor autem videto ut timeat Virum. *Eph.* 5, 22, 23, &c.

Uxores, subjicite vos propriis Viris, ut convenit in Domino. Viri, diligite Uxores, & ne estote adversus eas amarulenti: *Col.* 3. 18, 19.

Similiter

Similiter Uxores ſeſe ſubjiciant ſuis Viris; ut etiam ſiqui non aſſentiuntur Sermoni, per Uxorum Converſationem abſque Sermone lucrifiant. Ubi ſpectarint cum timore caſtam Converſationem veſtram.

Quarum ornatus non ſit externus ille in nodis capillorum, & circumpoſito auro, vel palliorum amictu. Sed ocultus ille cordis homo, *ſitus* in incorruptione lenis ac quieti Spiritûs, qui eſt in conſpectu Dei pretioſus. Ita enim olim & ſanctæ illæ mulieres quæ ſperabant in Deum, ornabant ſeſe, ſubjectæ ſuis viris. Sicut Sara obedivit Abrahamo, dominum eum vocans: cujus factæ eſtis filiæ, dum benè agitis, & nequaquam ulla terremini conſternatione. Viri ſimiliter, ſimul habitent, ſecundum *Dei* notitiam, vaſi muliebri ut infirmiori tribuentes honorem, utpote quum una etiam hæredes *ſitis* gratiæ vitæ, ne interrumpantur preces veſtræ, 1 *Pet.* 3. 1, 2, 3, *&c.*

Qu. *Quodnam eſt Liberorum ac Parentum officium ſecundum Paulum?*

R. Liberi, auſcultate in Domino parentibus veſtris, id enim eſt juſtum. Honora Patrem tuum ac Matrem; quod eſt Præceptum

ceptum primum cum promissione; Ut bene tibi sit, & sis longævus super terra. Et *vos* patres, ne provocate ad iram liberos vestros, sed enutrite *eos* in disciplina et admonitione Domini: *Eph.* 6. 1, 2, 3, 4.

Filii, auscultate parentibus in omnibus; hoc enim placet Domini. Patres, ne irritate Liberos vestros, ne despondeant animum. *Col.* 3. 20, 21.

Qu. *Quodnam est Servorum & Dominorum officium secundum duorum jam dictorum Apostolorum doctrinam?*

R. Servi, auscultate Dominis secundum carnem, cum timore ac tremore, cum simplicitate cordis vestri, ut Christo.

Non ad oculum servientes; ut qui hominibus placere studeant; sed ut servi Christi, facientes ex animo quæ vult Deus. Cum benevolentia servientes, ut Domino, & non hominibus. Scientes, singulos quicquid fecerint boni, hoc reportaturos à Domino, sive servus fuerit sive liber. Et vos Domini, eadem facite erga illos, remissis minis; scientes vestrum etiam ipsorum Dominum esse in Cœlis, nec personæ acceptionem esse apud eum: *Ephes.* 6. 5, 6, 7, 8, 9.

Qui-

Quicunque sub jugo sunt servi, suos dominos omni honore dignos ducunto, ne Dei Nomen & Doctrina blasphemetur. Qui verò fideles habent Dominos, ne eos contemnant quod fratres sint: sed eo magis inserviant, quod fideles sint ac dilecti, qui beneficentiam illam itidem capessunt: 1 *Tim.* 6. 1, 2.

Servos *hortare* ut suis Dominis sese subjiciant, in omnibus ut *eis* placeant, non responsatores: Nihil intervertentes, sed omnem bonam fidem ostendentes, ut Doctrinam Servatoris nostri Dei ornent in omnibus: *Tit.* 2. 9, 10.

Servi, auscultate per omnia Dominis secundum carnem, non obsequiis ad oculum exhibitis, ut qui hominibus placere student, sed cum simplicitate cordis, timentes Deum. Et quicquid feceritis, ex animo præstate, tanquam Domino, & non hominibus: Scientes vos à Domino recepturos mercedem hæreditatis: Nam Domino Christo servitis. Qui vero injuriam intulerit, referet injuriam quam intulerit, nec est personarum acceptio: *Col.* 3. 21, 22, 23, 24, 25.

Domini

Domini jus & æquum servis præstate: ut qui sciatis vos quoque habere Dominum in Cœlis. *Col.* 4. 1.

Servi, subditi estote cum omni timore Dominis, non solum bonis & æquis, sed etiam pravis. Hoc enim cedit gratiæ, si quis, propter conscientiam Dei suffert molestias injustè afflictus. Quæ enim est gloria si peccantes & colaphis cæsi subsistatis? Sed si bene agentes, et tamen afflicti subsistatis, hoc cedit vobis gratiæ apud Deum. Nam ad hoc etiam vocati estis, quoniam et Christus passus est pro nobis relinquens vobis exemplar, ut subsequeremini vestigia ipsius. 1 *Pet.* 2. 18, 19, 20, 21.

CAP.

CAP. XVIII.

De eo, quomodo ſe gerere debeant Viri & Fœminæ in genere, & in ſpecie de Senibus, de Anibus, de Adoleſcentibus, tàm Virilis quàm Fœminei ſexûs.

Quæſt.

Quid Paulus Apoſtolus vult, ut viri & fœminæ in genere faciant? Quomodo ipſe loquitur?

R. Volo viros orare in quovis loco, puras manus attolentes abſq; ira & diſceptatione. Itidem et mulieres amictu honeſto, cum verecundia et modeſtia ornare ſeſe, non cincinnis, vel auro, vel margaritis, vel pretioſo veſtitu; Sed (quod decet mulieres pietatem in Deum ſpondentes) operibus bonis. Mulier cum ſilentio diſcito cum omni ſubmiſſione. Mulieri enim docere non permitto, neque authoritatem uſurpare in virum; ſed *mando* ut ſit in ſilentio; 1 *Tim.* 2. 8, 9, 10, 11, 12.

At tu loquere quæ decent ſanam doctrinam,

nam. Ut senes sobrii sint, venerandi, temperantes, sani fide, charitate, tolerantia. Anus itidem, ut *sint* habitu qui sanctimoniam deceat, non calumniatrices, non vino multo addictæ, honestatis magistræ: Ut sapere doceant Adolescentulas, ut sint Maritorum ac Liberorum amantes; Temperantes, castæ, domimanentes, bonæ, quæ sese subjiciant viris suis; ne Sermo Dei blasphemetur. Adolescentulos itidem adhortare ut sint temperantes. *Tit.* 2. 1, 2, &c.

CAP. XIX.

De Precibus.

Quæst.

ANnon Preces sunt pars officii hominis Christiani?

R. Sine intermissione orate: 1 *Thess.* 5. 17.

Dixit autem eis etiam parabolam *huc spectantem*, quod oporteret ipsos semper orare, nec segnes esse: *Luc.* 18. 1.

Qu. *Quomodo oportet homines orare?*

R. Puras

R. Puras manus attollentes abſque ira & fluctuatione: 1 *Tim.* 2. 8.

Qu. *Quid ſi quis dum precatur ambigat ac fluctuet?*

R. Non exiſtimet homo ille ſe quidquam accepturum à Domino: *Jac.* 1. 7.

Qu. *Quid ſi in trâ precemur, & non condonemus ſi quid adverſus quempiam habeamus?*

R. Si vos non remiſeritis, nec pater ille veſter qui in Cœlis *eſt*, remittet offenſas veſtras *Marc.* 11. 26

Qu. *Quænam ergò eſt fiducia quam in precando habemus erga Deum?*

R. Ipſum ſi quid petierimus ſecundum voluntatem ejus, nos audire. 1 *Joh.* 5. 14.

Qu. *Si quis viderit fratrem ſuum peccare peccato quod non ſit ad mortem, quodnam eſt ejus precum reſpectu officium?*

R. Pete & dabit ei vitam: peccanti, *dico* non ad mortem: 1 *Joh.* 5. 16.

Qu. *Quid ſi is peccet peccato ad mortem?*

R. Non pro illo dico ut roget: 1 *Joh.* 5. 16.

Qu. *Quomodo in Scriptura deſcribuntur illi, qui peccato irremiſſibili, atque adeò ad mortem peccarunt?*

R. Quicunque blasphemârit in Spiritum Sanctum, non habet remissionem in æternum, sed tenetur æterno judicio. Dicebant enim, Spiritum impurum habet: *Mar.* 3. 29, 30.

Si ultro peccaverimus post acceptam cognitionem veritatis, non adhuc pro peccatis reliqua est hostia: Sed horrenda quædam expectatio judicii, & ignis fervor, qui devoraturus est adversarios. Qui aspernatus fuerit Mosis Legem, absque misericordia ex duorum aut trium testimonio moritur. Quanto (putatis) acerbiore supplicio dignus censebitur, qui Filium Dei conculcarit, & Sanguinem Fœderis, per quem fuerat sanctificatus, profanum duxerit, & Spiritum Gratiæ contumeliâ affecerit. *Heb.* 10. 26, 27, 28, 29.

Qu. *Quomodo Deus ergà illos est affectus qui ipsum invocant?*

R. Propinquus est Jehova omnibus invocantibus ipsum. *Psal.* 145. 18.

Idem *est* Dominus omnium, dives in omnes à quibus invocatur. *Rom.* 10. 12.

Qu. *An ipse prope omnes illos est, qui ipsum quocunque modo invocant?*

R. Om-

R. Omnibus qui invocant ipſum fide: *Pſal.* 145. 18.

Procul *abeſt* Jehova ab improbis, orationem autem juſtorum exaudit. *Prov.* 15. 29.

Scimus autem quod Deus peccatores non audiat; ſed ſiquis Dei cultor eſt, & facit quod ille vult, *ille* hunc audit. *Joh.* 9. 31.

Qu. *Annon Chriſtus ipſe diſcipulis ſuis precandi formulam præſcripſit, ita ut nullum reſtet dubium, quin formulâ aliquâ uti liceat?*

R. Et factum eſt, ut quum ipſe oraret quodam in loco, poſtquam ceſſaſſet, diceret ei quidam ex ejus diſcipulis: Domine, doce nos orare, prout & Johannes docuit diſcipulos ſuos. Dixit autem eis, Quum oratis, dicite, Pater noſter qui es in Cœlis, ſanctificetur Nomen tuum: veniat Regnum tuum: fiat Voluntas tua, ſicut in Cœlo, ita etiam in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis in diem. Et remitte nobis peccata noſtra, nam & ipſi remittimus omni nobis aliquid debenti. Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos ab illo improbo. *Luc.* 11. 1, 2, 3, 4.

Qu. *Quomodo oportet nos petitiones noſtras ad Patrem dirigere, ut quicquid petierimus accipiamus? Quid Chriſtus ipſe dicit ſuis diſcipulis.*

R. Amen Amen dico vobis, quæcunque petieritis à Patre in Nomine meo, dabit vobis. *Joh. 16. 23.*

Qu. *An moris erat, durante eo, quo Chriſtus in terra verſabatur tempore, precari Deum in Nomine Chriſti ſeu per Chriſtum? An vero cœpit is mos in uſu eſſe poſt Reſurrectionem & Exaltationem Chriſti? Quid Chriſtus ipſe ait hâc de re?*

R. Uſque adhuc non petiiſtis quicquam in Nomine meo; petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum, —venit tempus quum non amplius per ſimilitudines loquar vobis, ſed aperte de Patre meo nuncium afferam vobis. Illo die in Nomine meo petetis. *Joh. 16. 24, 25, 26.*

Qu. *An ullum habes exemplum precationis ad Deum per Chriſtum poſt ipſius Reſurrectionem atque Exaltationem?*

R. Deus verò pacis, qui magnum illum ovium, per ſanguinẽ pacti æterni, Paſtorem, Dominum noſtrum Jeſum, ex mortuis reduxit,

duxit, Perfectos vos efficiat in omni opere bono ad præſtandam ipſius voluntatem, efficiens in vobis quod gratum ſit in conſpectu ſuo, per Jeſum Chriſtum: cui ſit gloria in ſecula ſeculorum. *Heb.*13. 20,21.

CAP. XX.

De Eccleſia.

Quæſt.

Q. *Quid Chriſtus eſt in ordine ad Eccleſiam, & Eccleſia in ordine ad ipſum?*

R. Eſt Caput Corporis, Eccleſiæ. *Col.* 1. 18.

Q. *Quot ejuſmodi Corpora habet Chriſtus?*

R. Unum Corpus. *Eph.* 4. 4.

Q. *Quale Caput eſt Chriſtus?*

R. Ex quo totum Corpus per commiſſuras & connexus ſuppeditatum & compactum, augeſcit Dei augmento. *Col.*2.19.

Q. *Quinam ſunt Eccleſia?*

R. Sanctificati in Ieſu Chriſto, vocati Sancti. 1 *Cor.* 1, 2.

Q. *Super quod fundamentum ædificata eſt Eccleſia?*

R. Super fundamentum Apostolorum ac Prophetarum, existente imo angulari lapide ipso Iesu Christo. *Eph.* 2. 19.

Qu. *Quosnam alios titulos honoris attribuit Scriptura Ecclesiæ, præter titulum Corporis Christi?*

R. Sponsæ, Uxoris Agni. *Apoc.* 22. 17. *Apoc.* 19. 7, 8. *Apoc.* 21. 9.

Templi Dei. 1 *Cor.* 3. 16.

Domûs Dei, columnæ & stabilimenti veritatis. 1 *Tim.* 3. 15.

Qu. *Quodnam speciale promissum fecit Christus Ecclesiæ?*

R. Portæ inferorum non prævalebunt ei. *Mat.* 16. 18.

Qu. *Quid Christus alibi de se dicit, unde certa reddatur Ecclesia, fore, ut promissum isthoc effectum sit sortiturum?*

R. Ecce vivo in secula seculorum, Amen, & habeo claves inferorum & mortis. *Apoc.* 1. 18.

CAP.

CAP. XXI.

De Regimine & Diſciplina Eccleſiæ.

Quæſt.

POſtquam Chriſtus poſt mortem & Reſurrectionem ſuam in ſublime aſcendit, atq; ita deſiit Eccleſiæ ſuæ perſonaliter preſens ad eſſe, quoſnam ſegregavit ſibi ad compactionem Sanctorum, ad opus Miniſterii, ad ædificationem Corporis ſui?

R. Dedit alios quidem Apoſtolos, alios verò, Prophetas, alios autem Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores. Ad compactionem Sanctorum, ad opus Miniſterii, ad ædificationem Corporis Chriſti. Donec perveniamus nos omnes in unitatem Fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum adultum, ad menſuram plenæ ſtaturæ Chriſti. *Eph.* 4. 11, 12, 13.

Qu. *Quanam eſt admonitio duorum iſtorum magni nominis Apoſtolorum Pauli & Petri ad Seniores ac Rectores Eccleſiæ?*

R. Attendite igitur *animum* ad vos ipſos

& totum gregem in quo vos Spiritus ille Sanctus constituit Episcopos, ad pascendam Ecclesiam, quam suo illo proprio sanguine acquisivit: *Act.* 20. 28.

Presbyteros qui inter vos sunt, precor ego una Presbyter, ac testis afflictionum Christi, atque idem gloriæ consors, quæ futurum est ut reveletur: Pascite Dei gregem qui penes vos est, illius inspectioni vacantes, non coactè, sed libenter; non turpiter affectantes lucrum, sed prompto animo. Neque ut dominantes cleris, sed ut qui sitis exemplaria gregis: 1 *Pet.* 5. 1, 2, 3.

Qu. *Quodnam Petrus Apostolus præmium dicit illos in apparitione Christi consecuturos, si quemadmodum ipse præcipit fecerint?*

R. Quum manifestus factus fuerit ille Pastorum princeps, reportabitis amarantinam illam gloriæ Coronam: 1 *Pet.* 5. 4.

Qu. *Quodnam est juniorum aut privatorum officium in ordine ad Seniores ac Publicos Ecclesiæ Ministros?*

R. Similiter Juniores subjecti estote Senioribus: 1 *Pet.* 5. 5.

Obedite ductoribus vestris & obsecundate: excubant enim ipsi pro animabus vestris

vestris tanquam rationem reddituri: ut cum gaudio hoc faciant, & non suspirantes: id enim est vobis utile. *Heb.* 13. 17.

Rogamus autem vos, fratres, ut agnoscatis eos qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & admonent vos. Et eos supra modum charos ducatis, propter opus ipsorum. 1 *Thess.* 5. 12, 13.

Q. *Quid Scriptura dicit de sustentandis illis qui Ecclesiam instituunt atque curant?*

R. Communicet autem qui instituitur in sermone, cum eo qui se instituit, omnia bona. Ne errate; Deus non irridetur: quicquid enim seminaverit homo, hoc & metet. Nam qui seminat carni suæ, ex carne metet interitum: qui verò seminat Spiritui, ex Spiritu metet vitam æternam: *Gal.* 6. 6, 7, 8.

Si nos vobis Spiritualia seminavimus, magnum est si nos vestra carnalia messuerimus? —An nescitis eos qui Sacris operantur, *ea quæ* ex Sacrario *sunt* edere: & qui altari assident, cum altari participare? Ita etiam Dominus constituit eis qui Euangelium annunciant, ut ex Euangelio vivant. 1 *Cor.* 9. 11, 13, 14.

Qui

Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habentor; maxime qui laborant in Sermone & Doctrina. Dicit enim Scriptura: Bovi trituranti non obligabis os; Et, dignus est operarius mercede sua; 1*Tim.* 5. 17, 18.

Qu. *Quid Paulus Tito de illis qui sunt constituendi Seniores, Episcopi, & Curatores Ecclesiæ, dicit?*

R. Hujus rei gratia dereliqui te in Creta, ut quæ desunt corrigas, & constituas oppidatim Presbyteros, sicut ego tibi ordinavi. Si quis est inculpatus, unius uxoris vir, liberos habens fideles, qui non sint obnoxii crimini Luxûs, aut subjici nescii. Oportet enim Episcopum inculpatum esse, tanquam Dei dispensatorem, non sibi pertinaciter placentem, non iracundum, non vinosum, non percussorem, non turpem quæstum facientem; Sed hospitalem, bonorum amantem, temperantem, justum, pium, continentem; Tenacem fidelis illius Sermonis qui ad Doctrinam facit, ut possit & exhortari Doctrina Sana, & contradicentes convincere. *Tit.* 1. 5, 6, 7, 8, 9.

Qu. *Quid Timotheo eadem de re dicit?*

R. Certus

R. Certus eſt hic ſermo, Siquis Epiſcopatum deſiderat, præclarum opus deſiderat. Oportet igitur Epiſcopum irreprehenſum eſſe, unius uxoris virum, vigilantem, temperantem, compoſitum, hoſpitalem, aptum ad docendum: Non vinoſum, non percuſſorem, non turpem quæſtum facientem; ſed æquum, alienum à pugnis, alienum ab avaritia; Qui ſuæ domui bene præſit, qui liberos habeat ſubditos cum omni honeſtate: (Nam ſi quis propriæ domui præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiam Dei curabit?) Non Novitium, ne inflatus in criminationem incidat Diaboli. Oportet eum etiam bonum habere teſtimonium ab extraneis: ne in probrum incidat & laqueum Diaboli: 1 *Tim.* 3. 1, 2, *&c.*

Q. 1. *Quales oportet illos eſſe, qui Diaconi, ad ea, quæ in communibus Eccleſiæ bonis ſunt, vel conſervandum vel diſtribuendum, conſtituendi ſunt?*

R. Diaconos itidem venerandos, non bilingues, non multo vino addictos, non turpem quæſtum facientes; Tenentes myſterium Fidei in munda conſcientia. —— —Atque hi etiam explorentur prius, dinde mini-

miniſtrent, ſi ſint inculpati: —Diaconi ſint unius uxoris mariti, qui liberis bene præſint, & propriis domibus. 1 *Tim.* 3. 8, 9, 10, 12.

Qu. *Quales oportet eorum uxores eſſe?*

R. Uxores itidem *eorum oportet eſſe* venerandas, non calumniatrices, ſobrias, fidas in omnibus. 1 *Tim.* 3. 11.

Qu. *Quam dat Apoſtolus directionem de illis ab Eccleſia ſeparandis atque excommunicandis qui indigna ejus ſunt membra?*

R. Denunciamus autem vobis, fratres, in Nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, ut ſubducatis vos ab omni fratre qui inordinate ambulat, & non ex tradita doctrina quam accepit à nobis. 2 *Theſſ.* 3. 6.

Nunc autem ſcripſi vobis ne commiſceamini, *id eſt*, ſi quis quum frater nominetur, ſit ſcortator, aut alieni avidus, aut idololatra, aut conviciator, aut ebrioſus, aut rapax; cum ejuſmodi *inquam* ne edatis quidem. Quid enim mea *intereſt* etiam de extraneis judicare? nonne de iis qui intus ſunt vos judicatis? De extraneis vero Deus judicat: Tollite igitur iſtum improbum ex vobis ipſis. 1 *Cor.* 5. 11, 12, 13.

CAP.

CAP. XXII.

De Baptiſmo.

Quæſt.

Quodnam eſt judicium Johannis Baptiſtæ, Ieſu Chriſti, & Apoſtoli Petri de Doctrina Baptiſmi? quomodo illi loquuntur?

R. Ego quidem baptizo vos aqua ad reſipiſcentiam: is vero qui pone me venit, validior me eſt, cujus non ſum dignus qui ſoleas portem: ipſe vos baptizabit Spiritu Sancto et igne. *Mat.* 3. 11.

Ut exſpectarent promiſſionem Patris; quam, *inquit*, audîſtis ex me. Nam Johannes quidem baptizavit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto iſtis non multis poſt diebus. *Act.* 1. 4, 5.

Quum autem cœpiſſem loqui, illapſus eſt Spiritus Sanctus in eos, quemadmodum et in nos in principio. Recordatus ſum vero illius dicti Domini, quum diceret, Johannes quidem baptizavit aqua, vos vero baptizabimini Spiritu Sancto. *Act.* 11, 15, 16.

Qu. *Quamvis loca à te allegata aperte oſtendant*

ostendant Baptismum Spiritûs fuisse Baptismum Christi, quemadmodum aquæ baptismus fuit Johannis Baptismus, annon tamen Apostoli Christi baptizarunt aqua? quid hac de re quoque dicit Paulus?

R. Baptizavi—Stephanæ familiam: 1 *Cor.* 1.16.

Qu. *Verum multi existimant missos fuisse Apostolos ad baptizandum æque ac ad docendum. Quid igitur idem Apostolus hac de re quoque dicit?*

R. Non misit me Christus ut baptizarem, sed ut euangelizarem: 1 *Cor.* 1.17.

Qu. *Cæterum quando Paulus ipse, & credentes Romani sunt baptizati, in quid ipse & quem in finem dicit illos una secum baptizatos esse?*

R. Quotquot baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem ejus sumus baptizati. Consepulti sumus igitur ei per baptismum in mortem; ut sicut suscitatus est Christus ex mortuis in gloriam Patris, ita et *nos in novitate vitæ ambulemus*: Rom. 6. 3, 4.

Qu. *Quandoquidem tanta à quibusdam Aquæ-baptismo efficacia tribuitur, qualisnam*

Baptismus

Baptismus est iste,(& quidem ipsius Petri Apostoli judicio,) quo servati sumus: an prædictus Aquæ-baptismus, quo carnis sordes abluuntur, an verò cordis baptismus, quo illud mundatur à mala conscientia?

R. Cui rei nunc respondens exemplar Baptismi nos quoque servat (non quo carnis sordes abjiciuntur, sed stipulatio bonæ conscientiæ apud Deum) per Resurrectionem Iesu Christi. 1 *Pet.* 3. 21.

CAP. XXIII.

De Cœna Domini.

Quæst.

Quando instituta fuit Cœna Domini & in quem finem?

R. Dominus Iesus *ea nocte qua proditus est*, accepit panem: Et gratiis actis fregit, & dixit; Accipite, edite: hoc meum est Corpus quod pro vobis frangitur; *hoc facite ad mei commemorationem.* Itidem & poculum, postquam cœnasset, dicendo; Hoc Poculum est Novum illud Pactum, per meum

meum Sanguinem: *hoc facite* quotiescunque *biberitis ad mei commemorationem.* Quotiescunque enim ederitis Panem hunc, & Poculum hoc biberitis, *mortem Domini annunciatis, usquequo venerit.* 1 Cor. 11. 23, 24, 25, 26.

Qu. *Quid mali eventurum est ei qui indigne Cœnam Domini sumpserit?*

R. Quisquis ederit panem hunc, vel biberit poculum Domini indigne, damnas erit Corporis & Sanguinis Domini. —Qui edit & bibit indigne, damnationem sibi ipsi edit & bibit, non discernens Corpus Domini: 1 *Cor.* 11. 27, 29.

Q. *Quomodo quis se gerere debet ut digne participet Cœnæ Domini?*

R. Exploret quisque seipsum & ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat. 1 *Cor.* 11. 28.

Qu. *Quale examen est illud, quo Christianos oportet se examinare? quid idem Apostolus hac de re dicit?*

R. Vos ipsos tentate an sitis in fide, vos ipsos explorate? 2 *Cor.* 13. 5.

CAP.

CAP. XXIV.

De Resurrectione mortuorum, & ultimo Judicio; & quæ exinde futura sit ultima Justorum & Impiorum conditio.

Quæst.

Quid de Resurrectione mortuorum credis?

R. Fore Resurrectionem mortuorum, tum Justorum, tum Injustorum: *Act.* 24. 15.

Qu. *Per quem suscitabuntur mortui?*

R. Per Christum omnes vivificabuntur: 1 *Cor.* 15. 22.

Qu. *Quare suscitabuntur mortui per Christum potius quam per Deum ipsum?*

R. Quia per hominem mors, per hominem quoque Resurrectio mortuorum: 1 *Cor.* 15. 21.

Qu. *Quomodo hanc potestatem Christus est consecutus?*

R. Sicut Pater habet vitam in seipso: sic dedit & filio habere vitã in seipso. *Ioh.* 5. 26.

Posterior Adamus *factus est Spiritus vivificus,* 1 Cor. 15. 45.

Qu. *Per quem judicabit Deus gentem hominum?*

R, Judicabit Deus de rebus occultis hominum per Jesum Christum: *Rom.2. 16.* Mandavit autem nobis ut prædicemus populo, & cum testificatione denunciemus eum esse qui definitus sit à Deo Judex vivorum & mortuorum: *Act. 10. 42.*

Qu. *Quô argumento fecit Deus fidem se mundum per hunc hominem judicaturum?*

R. Eô quòd ipsum suscitavit ex mortuis. *Act. 17. 31.*

Qu. *Quinam erit exitus bonorum & malorum in Resurrectione?*

R. Omnes qui in monumentis sunt prodibunt: qui bona fecerint in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerint, in resurrectionem condemnationis. *Joh. 5. 28, 29.*

Qu. *Annon improbi atque increduli vivent in æternum, (utut in tormentis) æque ac ipsi probi atque credentes? An vero vitâ æternâ soli fruentur credentes?*

R. Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui vero non assentitur Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum: *Joh. 3. 36.*

Qu. *Licet*

Qu. *Licet hic quem citâſti locus, manifeſte videatur probare vitam æternam nullis aliis competere quàm credentibus; quia tamen opinio contraria vulgò inter Chriſtianos obtinet, libenter Ulterius ex te cognoſcerem, utrum ulla alia habeas loca quæ directe affirment improbos* mori, *idque* morte ſecunda; perdi atque puniri pœnâ ſempiternâ, corrumpi, exuri, devorari, jugulari, præterire, perire, *&c?*

R. Stipendia peccati, *mors*; donum autem Dei eſt *vita æterna.* Rom. 6. 23.

Si ſecundum carnem vixeritis *futurum eſt ut moriamini*; ſed ſi Spiritu actiones corporis mortificetis, *vivetis.* Rom. 8. 13.

Ego ſitienti dabo *ex fonte aquæ vivæ* gratis. —Formidoloſis autem & incredulis, & execrabilibus, & homicidis, & ſcortatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus portio *aſſignata* eſt in ſtagno ubi ardet ignis & ſulphur, *quod eſt mors ſecunda.* Apoc. 21. 6, 8.

Eſto fidelis uſq; ad mortem et dabo tibi *Coronam vitæ.* Qui vicerit, nequaquam lædetur *à morte ſecunda.* Apoc. 2. 10, 11.

Quum dicent, pax & ſecuritas: tunc *re-*

pentinum eis inſtar *exitium*, ſicuti dolor partûs mulieri gravidæ, et nequaquam effugient: 1 *Theſſ.* 5. 3.

In diem damnationis et *exitii impiorum hominum.* 2 Pet. 3. 7.

In Revelatione Domini Ieſu de Cœlo, cum Angelis ſuis potentibus. Cum igne flammante, infligens ultionem iis qui Deum neſciunt, neque auſcultant Evangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti: *qui pœnam pendent æterni exitii, expulſi* à facie Domini, et gloria virium ipſius: 2 *Theſſ.* 1. 7, 8, 9.

Qui ſeminat carni ſuæ, ex carne metet interitum: qui vero ſeminat Spiritui, ex Spiritu metet *vitam æternam:* Gal. 6. 8.

Iſti, veluti animantia rationis expertia, —facta ad eum finem ut capta intereant, ea vituperantes quæ ignorant, ſua ipſorum corruptela *interibunt.* 2 Pet. 2. 12.

Siquis Templum Dei violat, hunc *perdet* (Gr. *corrumpet*) Deus. 1 *Cor.* 3. 17.

At nos non ii ſumus qui nos ſubducamus *ad exitium*, ſed qui credamus *ad animæ ſalutem.* Heb. 10. 39.

Quæ indocti parumque ſtabiles detorquent, ut & reliquas Scripturas *ſuo ipſorum exitio.* 2 Pet. 3. 16. Cujus

Cujus ventilabrum eſt in manu ſua, & qui perpurgabit aream ſuam: & coget triticum ſuum in horreum, *paleam autem exuret* igni inexſtincto. *Mat.* 3. 12.

Si ultro peccaverimus poſt acceptam cognitionem veritatis, non adhuc pro peccatis reliqua eſt hoſtia. Sed horrenda quædam expectatio judicii, & ignis fervor, *qui devoraturus eſt adverſarios.* Heb. 10. 26, 27.

Quin etiam meos illos inimicos, qui noluerunt me regnare ſupra ſe, adducite huc, *& jugulate coram me.* Luc. 19. 27.

Mundus præterit, & cupiditas ipſius; qui vero præſtat voluntatem Dei *manet in æternum.* 1 Joh. 2. 17.

Chriſti bona fragrantia ſumus Deo: in iis qui ſervantur, & in *iis qui pereunt. His quidem odor mortis ad mortem: illis vero odor vitæ ad vitam.* 2 Cor. 2. 15, 16.

Qu. *Quinam eſt uſus, quem ſalvator ipſe noſter ex hac doctrina de perditione hominum in gehenna vult nos elicere?*

R. Timete eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehenna. *Mat.* 10. 28.

Qu. *Qualiter veniet Chriſtus quoque mo-*

do exequetur judicium ultimo illo die?

R. Quum venerit Filius hominis cum gloriâ suâ, & omnes Sancti Angeli cum eo, tunc sedebit in Throno Gloriæ suæ. Et cogentur coram eo omnes gentes, & separabit eos, alteros ab alteris, ut pastor separat oves ab hœdis. Et statuet oves quidem ad dextram suam, hœdos autem ad sinistram. Tunc dicet Rex iis qui ad dextram ipsius erunt; Adeste benedicti Patris mei, possidete Regnum paratum vobis à jacto mundi fundamento. Esurivi enim, & dedistis mihi quo vescerer: sitivi & dedistis mihi potum: hospes eram, et collegistis me: nudus, & amiciviſtis me: ægrotavi, et invisistis me: in carcere eram, et venistis ad me. Tunc respondebunt ei justi, dicentes; Domine, quando te vidimus esurientem, et aluimus? aut sitientem, et dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hospitem, et collegimus te? aut nudum, et amicivimus? aut quando te vidimus ægrotum, aut in carcere, et venimus ad te?

Et respondens Rex dicet eis, Amen dico vobis, quatenus id feciſtis uni ex istis fratribus meis minimis, mihi feciſtis.

Tunc

Tunc dicet etiam iis qui ad ſiniſtram *erunt*, Exſecrati, abite à me in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo et angelis ejus. Eſurivi enim, et non dediſtis mihi *quo* veſcerer: ſitivi, et non dediſtis mihi potum: hoſpes eram, et non collegiſtis me: nudus, et non amiciviſtis me: ægrotus, et in carcere *eram*, et non inviſiſtis me.

Tunc ipſi quoque reſpondebunt ei, dicentes; Domine, quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut ægrotum, aut in carcere, et non miniſtravimus tibi?

Tunc reſpondebit eis dicens, Amen dico vobis, quatenus *id* non feciſtis uni ex iſtis minimis, nec mihi feciſtis. Et abibunt iſti ad ſupplicium æternum: juſti vero ad vitam æternam. *Mat.* 25. 31, 32, 33, 34, 35, &c.

Qu. *Annon eſt alia reſurrectio ut & judicium, quæ hanc ultimam & generalem reſurrectionem, ut & judicium, anticipet, quæq; peculiariter ad Sanctos pertineat, qui propter teſtimonium Ieſu, & propter ſermonem Dei fuerint cæſi? quid Johannes Theologus hac de re dicit?*

R. Vidi Thronos, et sederunt super eos, et judicium datum est eis: et animas eorum, qui securi percussi sunt propter testimonium Iesu, et propter Sermonem Dei, quique non adorant bestiam, neque imaginem ejus, neque acceperunt characterem ejus in frontibus suis, aut in manibus suis, viventque et regnabunt cum Christo mille illis annis. Reliqui vero ex mortuis non reviviscent, donec consummati fuerint illi anni mille. Hæc est resurrectio prima. Beatus et Sanctus qui habet partem in resurrectione prima: in hos *enim* secunda mors non habet potestatem; sed erunt Sacerdotes Dei et Christi et regnabunt cum eo mille annis. *Apoc.* 20. 4, 5, 6.

FINIS.

BREVIS
CATECHESIS Scripturalis pro Parvulis.

In qua non obstante ejus brevitate omnia ad Vitam & Pietatem necessaria continentur.

Anglicè Composita
A' *Johanne Biddello*, Artium Universitatis *Oxonienſis* Magistro.

ET

Latinè reddita à *Nathanaele Stuckey*.

---

1 Pet. 2. 2.
ut modo geniti Infantes, lac illud ſermonis ſincerum expetite, ut per illud augeſcatis.

Anno epochæ Christianæ M DC LXV.

Præfatio.

BRevis hæc Catecheſis in eorum quidem uſum, qui cùm ætatis tùm cognitionis reſpectu *Parvuli* ſunt, quemadmodum ipſe oſtendit Titulus, eſt compoſita, ut eam vel memoriæ mandantes, vel alioqui uſu diligenti familiarem ſibi reddentes, veram poſſint ac ſolidam de præcipuis Chriſtianæ Fidei capitibus informationem acquirere: verùm ea, non minus quàm quæ præcedit Catecheſis uberior, poterit fortaſſe ulteriorem illis quoque lucem impartire, eorumque inſtitutioni ſervire, qui videntur ad plenam Evangelicæ cognitionis ſtaturam perveniſſe; imprimis ſi tertium, ſextum, ac decimum capita probè expenderint atque conſideraverint. Quamvis enim omnia, cùm credenda

da tùm facienda, quæ ad consequendam vitam æternam vel *necessaria* vel *admodum utilia* sunt perspicuè sint in Scriptura tradita, considerato tamen eo, qualibus in *principiis* Christiani sint communiter enutriti, haud fortasse futurum ipsis possibile fuisset, utpote qui mentem præjudicatis opinionibus adeò obnubilatam obvelatamque habeant, videre quid in Scriptura perspicuè sit proditum, indeque sine scrupulosa difficultate eductum à me: qui jam dudum præjudicia exauctoravi, sumque per singularem Iesu Christi in me gratiam ac favorem addictus nulli ex multis istis in Religione factionibus, in quas Christianus cum immenso suo damno mundus est divisus; sed gestio *merus Christianus* audire, nullam aliam *Fidei*, quemadmodum alibi declaravi, *Regulam* seu Normam admittens, quàm *Sacram Scripturam*, *quam* omnes Christiani, quantumvis alioqui in infinitum opinionibus circa Religionem inter se variantes, unanimiter agnoscunt *Dei Verbum* esse, nullumque alium *Interpretem*, si scrupulus incidat circa sensum Scripturæ, quàm *Rationem:*

nem: quam omnes Sobrii fatentur ſolum eſſe *Principium*, quod nobis Deus indiderit ad judicandum inter æquum & iniquum, bonum & malum; quôque adeò reliqua omnia excellimus animalia. Faxit Dominus Ieſus ut hæc æquè ac præcedens uberior Catecheſis tàm utiliter à Lectoribus evolvatur, quàm prompto animi ſtudio ego cum ipſis eam communicare iſtum in finem volui.

Johannes Biddellus.

Con-

Contenta.

Cap. 1. *De Scriptura seu Verbo Dei.*
Cap. 2. *De Deo.*
Cap. 3. *De Iesu Christo, dequè ejus Dominio, Divinitate ac Natura.*
Cap. 4. *De Spiritu Sancto deque Trinitate.*
Cap. 5. *De Morte, Resurrectione, Ascensione & Exaltatione Christi.*
Cap. 6. *De Mortificatione & Sanctimonia Vitæ.*
Cap. 7. *De Mandatis atque adeo de Charitate in Deum & Homines.*
Cap. 8. *De Fide.*
Cap. 9. *De Ecclesia.*
Cap. 10. *De Resurrectione Mortuorum, & de Ultimo Judicio.*

Brevis

Brevis Catecheſis Scripturalis pro Parvulis.

CAP. I.

De Scriptura, ſeu Verbo Dei.

Quæſt.

Quid Scriptura dicit de ſua ipſius Authoritate, Utilitate & Sufficientia?

Reſponſ.

Sacræ Literæ — poſſunt ſapientem reddere ad ſalutem, per fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu. Tota Scriptura divinitus *eſt* inſpirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad diſciplinam in juſtitia: Ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfecte inſtructus. 2 *Tim.* 3, 15, 16, 17.

Qu,

Qu. *Quid illa dicis de ſua ipſius perſpicuitate? An imperitus ſeu idiota poteſt eam intelligere?*

R. Teſtimonium Jehovæ verax, ſapientiam afferens *imperito*. Pſal. 19. 8.

Aditus verborum tuorum illuminat, prudentia inſtruit ſimplices. *Pſal.* 119. 130.

Qu. *Cum Scriptura divinitus inſpirata ſit plena ac plana, quemadmodum ipſa de ſe teſtatur; quid illi reſponderes qui tibi conaretur perſuadere, Deum vel non totam ſuam in ea voluntatem declarâſſe, vel tam obſcure eam tamque ambigue declarâſſe, ut* Revelationibus *aut* Expoſitionibus Eccleſiæ Infallibilis *opus habeamus ad eam intelligendum?*

R. Indicavit tibi, ô Homo, quid ſit bonum: ecquid Jehova requiſivit abs te, niſi ut exerceas jus, & ames benignitatem, & modeſtè ambules coram Deo tuo? *Mich.* 6. 8.

CAP.

CAP. II.

De DEO.

Quæst.

Quot sunt Dii Christianorum?

R. Unus Deus: *Eph.4.6.*

Qu. *Quis iste Unus Deus est?*

R. Pater ille à quo omnia: 1 *Cor.8.6.*

Qu. *Cujusnam Pater?*

R. Pater Domini nostri Iesu Christi: *Rom.15.6.*

Qu. *Annon Pater Domini nostri Iesu Christi idem est cum Deo Abrahami, & Isaaci, & Jacobi? Quid Petrus Apostolus Judæis dicit?*

R. Deus ille Abrahami, & Isaaci, & Jacobi, Deus Patrum nostrorum glorificavit Filium suum Iesum. *Act.3.13.*

Qu. *Cur ergò Deus non vocabatur* Pater *in Lege & in Prophetis; nec id nomen adhibebatur loco Dei, nec porrò formulæ usurpabantur quales sunt istæ:* Adorabitis Patrem; si rogaveritis Patrem; Pater tales quærit

qui ipſum adorent? *an propterea hoc fiebat quòd Filius Dei nondum exiſteret? Et an potes ullum ex veteri Fœdere locum adferre, qui, collatus cum alio Novi Fœderis loco, apertè oſtendat Filium Dei poſteà demùm extiturum fuiſſe? Cedò textus.*

R. Ego *ero* illi Pater, & ipſe *erit* mihi Filius. 2 *Sam.*7.14.

Tanto præſtantior factus Angelis, quanto excellentius præ illis ſortitus eſt nomen. Nàm cui dixit unquam Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Ac rurſum: Ego *ero* ei Pater, & ipſe *erit* mihi Filius. *Heb.* 1.4, 5.

Qu. *Quid eſt Deus?*

R. Spiritus. *Joh.*4.24.

Qu. *An hoc innuit ipſum nullam habere ſpeciem ſeu figuram, atque adeo nequaquam poſſe videri? An verò Scriptura è contrario teſtatur Angelos* videre *ipſius faciem, Sanctoſque ipſum* viſuros, *quin* viſuros *ipſum ſicuti eſt. Quid Chriſtus dicit?*

R. Videte ne contemnatis aliquem ex parvis iſtis: Dico enim vobis, Angelos eorum in Cœlis per omne tempus intueri faciem Patris mei qui in Cœlis eſt. *Mat.*18.10.

Beati

Beati qui ſunt mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt. *Mat.*5.8.

Qu. *Quid Johannes Apoſtolus dicit?*

R. Nunc Filii Dei ſumus, ſed nondum manifeſtum factum eſt quod erimus: ſcimus autem fore ut quum *ipſe* factus fuerit manifeſtus, ſimiles ei ſimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt. 1 *Joh.*3. 2.

Qu. *An iſthæc doctrina de* videndo Deo *ſicuti eſt, ad Idololatriam ac Prophanitatem tendit, an verò ad Sanctimoniam potius?*

R. Quiſquis habet hanc ſpem in eo *ſitam*, purificat ſeipſum, quemadmodum & ipſe purus eſt. 1 *Joh.*3. 3.

Qu, *Ubinam Locus Dei eſt?*

R. Deus noſter in ipſis Cœlis eſt. *Pſal.* 115. 3.

Qu. *An non ipſe ſolium illic paravit?*

R. Jehova in Cœlis ſtabilivit ſolium ſuum. *Pſal.* 103. 19.

Qu. *Quem in finem?*

R. Jehova in ſeculum ſedebit, *comparans ad judicium ſolium ſuum.* Pſal.9.8

Qu. *Quomodo Pſalmographus ad Deum, celebrans ipſius magnitudinem ac gloriam, loquitur?*

R. Jehova Deus mi, magnus es valde; decorem & majeſtatem induiſti. Amiciens te luce tanquam panno. *Pſal.* 104. 1, 2.

Qu. *An quòd Deus gloriâ luceat inque certo in Cœlis loco reſideat, ut quis diſtinguere inter ipſius dextram ſiniſtramque poſſit, an, inquam, totum hoc ipſo oculorum intuitu (demonſtratione omnium clariſſimâ) non evincitur, ut nemo jure dubitare queat nùm hæc proprie dicantur? Quid de Stephano ſcriptum in ſacro volumine Legis?*

R. Quum eſſet plenus Spiritu Sancto, intentis in Cœlum oculis vidit gloriam Dei & Ieſum adſtantem ad dexteram Dei. Et ait, Ecce, conſpicio Cœlos apertos, & Filium illum hominis adſtandem ad dextram Dei. *Act.* 7. 55, 56.

Qu. *Quandoquidem Deus eſt Spiritus, quemadmodum oportet nos ipſum adorare?*

R. In Spiritu & Veritate. *Joh.* 4. 24.

Qu. *Quis mundum & omnia quæ in eo continentur fecit?*

R. Deus. *Act.* 17. 24.

Qu. *Quem in finem fecit Deus gentem hominum?*

R. Ut

R. Ut quærerent Dominum. *Actor.* 17. 27.

Qu. *An quis Deum ſi ipſum quærat inveniet?*

R. Si quæſiveris eum, invenietur abs te. 1 *Chron.* 28. 9.

Qu. *Quid ſi ipſum quis derelinquat?*

R. Rejiciet (*eum*) in perpetuum. 1 *Chro.* 28. 9.

Qu. *An non quem oportet querere Deum in fide, & an non hæc fides eſt credere Deum eſſe, & præmia largiri iis qui ipſum requirunt? an quis abſq; hac fide placebit ipſi?*

R. Fieri non poteſt ut abſque fide quiſquam Deo ſit gratus: nàm qui accedit ad Deum, hunc credere oportet eſſe *Deum*, & præmia largiri iis qui ipſum requirunt. *Heb.* 11. 6.

CAP. III.

De Iesu Christo deque ejus Domino, Divinitate, & Natura.

Quæst.

Quot sunt Domini Christianorum distincti ab illo Uno Deo?

R. Unus Dominus. *Eph.* 4. 5.

Qu. *Quis ille Unus Dominus est?*

R. Iesus Christus, per quem omnia: 1 *Cor.* 8. 6.

Qu. *Quemadmodum evasit ipse Dominus?*

R. Deus fecit Iesum Dominum & Christum: *Act.* 2. 36.

Qu. *An non Christus quemadmodum Domini sic etiam Dei titulo ornatur. Quid Thomas dicit ipsi?*

R. Respondit Thomas, & dixit; Domine mi, & Deus mi. *Joh.* 20. 28.

Qu. *An ipse sic Thomæ Deus erat, ut interim haud ipsemet alium agnosceret suum Deum esse? Quid ipse post resurrectionem suam Mariæ Magdalene dicit?*

R. Dicit

R. Dicit ei Ieſus: — proficiſcere ad fratres meos, & dic iis: aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, & *Deum meum*, & Deum veſtrum. *Joh.* 20. 17.

Qu. *Quid ipſe poſt ſuam Aſcenſionem & Exaltationem Angelo Eccleſiæ Philadelphienſis dicit?*

R. Qui vicerit, faciam ut is ſit columna in Templo *Dei mei*, nec foras egredietur amplius: et inſcribam ei nomen *Dei mei*, & nomen Civitatis *Dei mei*, Novæ Hieruſalem, quæ deſcendit è Cœlo *à Deo meo*. Apoc. 3. 12.

Qu. *Annon in Scriptura extat locus, in quo Chriſtus (& quidem poſtquam conſedit in Throno ſuo) eodem ipſo tempore, quo* Deus *vocatur, dicitur ipſe quoque* Deum habere? *Recenſe verba quæ ex libro Pſalmorum Divinus Epiſtolæ ad Hebræos Author citat.*

R. Ad Filium dicit, Thronus tuus, ô Deus, in ſeculum ſeculi: virga recta virga Regni tui. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti tranſgreſſionem: propterea unxit te ô Deus, Deus tuus, oleo exultationis, ultra conſortes tuos. *Heb.* 1. 8, 9.

Qu. *Quis iſte Deus Ieſu Chriſti eſt? quid Paulus dicit?*

R. Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater ille gloriæ: *Eph.* 1. 17.

Qu. *Poſtquam divinum Chriſti Dominium explicaſti, aveo te audire diſſerentem de Natura ipſius. Quomodo ergo fuit ejus Nativitas?*

R. Ieſu Chriſti nativitas ita fuit. Quum enim mater ejus Maria deſponſata eſſet Joſepho, priuſquam ipſi conveniſſent, comperta eſt prægnans è Spiritu Sancto: *Mat.* 1. 18.

Qu. *Annon hæc ratio fuit quare Ieſus vocaretur Filius Dei? Cedo Angeli Gabrielis ad ipſius Matrem verba huc pertinentia.*

R. Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, et virtus altiſſimi inumbrabit te: ideoque quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei: *Luc.* 1. 35.

Qu. *Annon prædictum fuit Chriſtum oportuiſſe hunc in modum abſque viri interventu naſci, atque ita Deum habere pro ſuo Patre, qui per Spiritum ſuum* (digiti Dei *nomine in Scripturâ vocatum, ut qui præcipuum ſit inſtrumentum quo ille miranda faciat opera) voluerit in ipſius generatione Patris ſupplere vicem? quid Evangeliſta Matthæus ex Iſaia dicit?*

R. Totum

R. Totum hoc factum eſt, ut impleretur quod ait Dominus per Prophetam dicentem; Ecce, Virgo illa prægnans erit, & pariet Filium & vocabis nomen ejus Emmanuel; quod eſt, ſi interpreteris, *Nobiſcum Deus.* Mat. 1. 22, 23.

Qu. *An Chriſtus vocatus fuit Emmanuel, quatenus Deus ipſemet fuerit qui nobiſcum ſit, an quatenus is* ipſe eſt, *in quo ſeu per quem Deus nobiſcum ſit, faveat ac benedicat nobis: quemadmodum Moſes Altare, quod occaſione cædis Amalechitarum erexerat,* (*vide* Exod. 17. 15.) *vocavit* Jehova-niſſi, *quod eſt, ſi interpreteris,* Dominus vexillum meum; *quamvis illud eſſet non niſi merum monumentum, quòd Dominus fuiſſet vexillum ipſius? quid igitur aperte Scriptura docet de eo quod Chriſtus non ſit Deus ipſe, ſed perſona inter Deum & nos media, utpote in quo, & per quem omnis in nos à Deo favor ac benedictio promanet? Cedo tria vel quatuor, ex innumeris quæ huc pertineant, loca.*

R. Unus Deus, unus etiam Mediator inter Deum & homines, homo Ieſus Chriſtus. 1 *Tim.* 2. 5.

Juſtificati igitur ex fide, pacem habemus

mus erga Deum, *per* Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. *Per quem* etiam fide adducti ſuimus in hanc gratiam per quam ſtamus, & gloriamur ſub ſpe gloriæ Dei.—Neque id ſolùm, verum etiam gloriamur de Deo, *per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem* nunc reconciliationem recepimus. *Rom.* 5. 1, 2, 11.

Donum Dei eſt vita æterna *in Chriſto Ieſu Domino noſtro*: Rom. 6. 23.

Benedictus eſto Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nobis omni benedictione ſpirituali in Cœlis in Chriſto: Sicut elegit nos *in ipſo* ante jactum mundi fundamentum, ut ſimus Sancti & inculpati in conſpectu ejus cum charitate. Qui prædeſtinavit nos quos adoptaret in filios *per Ieſum Chriſtum* in ſeſe, pro benevolo affectu voluntatis ſuæ. Ad laudem glorioſæ ſuæ gratiæ, qua nos gratis ſibi acceptos effecit in illo dilecto. *Eph.* 1. 3, 4, 5, 6.

Qu. *Quæ utilitas profeſſionis quâ quis profiteatur Ieſum eſſe Filium Dei?*

R. Quiſquis profeſſus fuerit Ieſum eſſe Filium Dei, Deus in eo habitat, & ipſe in Deo: 1 *Joh.* 4. 15.

Qu. *An*

Qu. *An non perinde eſt dicere, Ieſum eſſe Chriſtum (hoc eſt, Unctum Domini ſeu Regem ſuper ejus populo conſtitutum) ac ipſum eſſe Filium Dei; cum nemo ſit Chriſtus præter eum qui ſit Filius ille Dei; nemoque Filius Dei præter eum qui ſit Chriſtus? Quomodo hac de re Scriptura loquitur?*

R. Quiſquis credit *Ieſum eſſe Chriſtum illum.* 1 Joh. 5. 1.

Credo *Ieſum Chriſtum eſſe Filium illum Dei.* Joh. 20. 31.

Qu. *Quodnam habes argumentum quo poſſis evincere, quòd quamvis credat quis in Deum, illud tamen haud ei ſufficiat, niſi etiam credat in Filium Dei? & licet cognoſcat Patrem ſolum illum verum Deum, oporteat tamen ipſum etiam cognoſcere Ieſum Chriſtum? Quomodo Chriſtus ad ſuos diſcipulos loquitur?*

R. Creditis in Deum: etiam in me credite. *Joh.* 14. 1.

Qu. *Quomodo Chriſtus loquitur ad Patrem?*

R. Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te ſolum illum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. *Joh.* 17. 3.

Qu. *Un-*

Qu. *Undenam poterit conſtare nobis num Deum ac Ieſum Chriſtum cognoſcamus nec ne?*

R. Per hoc ſcimus quod ipſum novimus, ſi præcepta ejus obſervemus. Qui dicit novi eum & præcepta ejus non obſervat, mendax eſt, & in eo veritas non eſt. 1 *Joh.* 2. 3, 4.

CAP. IV.

De Spiritu Sancto deque Trinitate.

Quæſt.

Quot ſunt Chriſtianorum Spiritus ſancti?

R. Unus Spiritus. *Eph.* 4. 4.

Qu. *Cui bono eſt Chriſtianis hic Spiritus Sanctus?*

R. Per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptizati ſumus, & Judæi, & Græci, & Servi, & Liberi; & omnes potati ſumus in unum Spiritum. 1 *Cor.* 12. 13.

Utrique habemus aditum per unum Spiritum ad Patrem. *Eph.* 2. 18.

Ipſe Spiritus teſtatur una cum ſpiritu noſtro, nos eſſe Filios Dei. — Itidem & Spiritus

ritus una ſublevat infirmitates noſtras: quid enim oremus ut oportet non novimus; ſed ipſe Spiritus intercedit pro nobis ſuſpiriis inenarrabilibus. Qui vero ſcrutatur corda, novit quid ſapiat Spiritus: quia ſecundum Deum intercedit pro ſanctis. *Rom.* 8. 16, 26, 27.

Qu. *Cum Chriſtiani adeo Spiritui Sancto ſint devincti, quodnam exinde Paulus Apoſtolus conſilium ipſis dat?*

R. Ne triſtate Spiritum illum Sanctum Dei. *Eph.*4.30.

Qu. *Percipio ex iis quæ citaſti è Scriptura, locis, Sanctam Trinitatem, quam Chriſtiani primitûs crediderunt agnoverunt que, ex uno Deo, uno Domino, & uno Spiritu conſtitiſſe: quia tamen Chriſtiani hodie communiter aſſerunt tres Sanctæ Trinitatis perſonas eſſe unum illum Deum; cedo unum atque alterum adhuc locum, unde certi reddantur illi, qui ad ſcripta Apoſtolorum potius quàm ad mandata hominum poſteriorum ætatum ſeu ſeculorum attendunt, Deum non eſſe totam Trinitatem, ſed unam duntaxat ejus Perſonam. Quid hac de re Scriptura docet?*

R. Diſtinctiones — donorum ſunt, ſed

idem

idem Spiritus, & distinctiones ministeriorum sunt, sed *idem Dominus*. Et distinctiones actionum sunt, sed *idem est Deus* agens omnia in omnibus: 1 *Cor.* 12. 4, 5, 6.

Gratia Domini Iesu Christi, & Charitas Dei & communicatio Spiritus Sancti sit cum omnibus vobis. Amen. 2 *Cor.* 13. 13.

CAP. V.

De Morte, Resurrectione, Ascensione & Exaltatione Christi.

Quæst.

AN non Christus mortem pro nobis subiit?

R. Christus mortuus est pro nobis, secundum Scripturas. 1 *Cor.* 15. 3.

Qu. *An non ipse sepultus fuit & suscitatus?*

R. Et sepultus fuit & suscitatus tertio die, secundum Scripturas. 1 *Cor.* 15. 4.

Qu. *An ipse suscitatus fuit per suam ipsius gloriam, & vivit ex sua ipsius potentia?*

R. Suscitatus est Christus ex mortuis per gloriam Patris: *Rom.* 6. 4. Vivit

Vivit ex potentia Dei. 2 *Cor.* 13. 4.

Qu. *Ad quid ipse est resuscitatus?*

R. Resuscitatus est ad nostri Justificationem: *Rom.* 4. 25.

Qu. *Quidnam inde emolumenti ad te redibit si credas Christum* à Deo *& non à seipso esse suscitatum?*

R. Si credideris in corde tuo, *quod Deus eum suscitavit ex mortuis*, servaberis. *Rom.* 10. 9.

Qu. *An non, quemadmodum* Deus *suscitavit Iesum ex mortuis, ita* ipse *quoque eundem exaltavit?*

R. Hunc *Deus exaltavit*, ut sit Princeps ac Servator. *Act.* 5. 31.

Qu. *Quem in finem?*

R. Ut det resipiscentiam Izraëli & remissionem peccatorum: *Act.* 5. 31.

Qu. *An Deus non intendit ut Gentiles æquè ac Judæi remissionem peccatorum consequerentur per Christum, si crederent in ipsum?*

R. Huic etiam omnes Prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus *quemvis qui crediderit.* Act. 10. 43.

Qu. *An*

Qu. *An non in Epistolis Petri locus extat, in quo Christi Resurrectio, Ascensio, sessio ad dextram Dei, & inauguratio in Regnum suum junctim exprimantur? Producas eum?*

R. Cui rei nunc respondens exemplar Baptismi nos quoque servat (non quo carnis sordes abjiciuntur, sed stipulatio bonæ conscientiæ apud Deum) per Resurrectionem Iesu Christi. Qui est ad dextram Dei profectus in Cœlum, subjectis ipsi Angelis, & protestatibus ac virtutibus. 1 *Pet.* 3. 21, 22.

CAP. VI.

De Mortificatione & Sanctimonia vitæ.

Quæst.

Quandoquidem Christus, quod mortuus est, peccato mortuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo: quid exinde oportet nos colligere?

R. Ita etiam vos colligite, vos tum mortuos esse peccato, tùm verò vivere Deo per Christum Iesum Dominum nostrum. *Rom.* 6. 11.

Qu. *Quid*

Qu. *Quid oportet nos facere ut hæc collectio effectum sortiatur?*

R. Ne regnato peccatum in mortali vestro corpore, ut auscultetis ei in cupiditatibus ejus. Neque sistite membra vestra arma injustitiæ peccato: sed sistite vos Deo, ut ex mortuis vivos, & membra vestra arma justitiæ Deo. *Rom.6. 12, 13.*

Qu. *Quomodo hâc re opus est nobis cum simus non sub Lege, sed sub Gratia?*

R. Quid igitur? peccabimus quod non simus sub Lege, sed sub Gratia? Absit. *Rom.6.15.*

Qu. *Quid inde periculi nobis est metuendum qui sumus sub Gratia, si nos ipsos peccati mancipemus servituti? an id æternâ vitâ nos privabit?*

R. An nescitis quod cui sistitis vos servos ad obediendum, ejus servi estis cui auscultatis, sive peccati ad mortem, sive obedientiæ ad justitiam? *Rom.6.16.*

Qu. *At quamvis vel maxime peccato obnitamur an non tamen peccatum dominabitur in nos, adeo ut unusquisque nostrûm compellatur ad exclamandum:* Non bonum quod volo facio: sed malum, quod nolo, hoc ago?

R. Peccatum vobis non dominabitur: *Rom.*6.14.

Qu. *Cur non?*

R. Non enim estis sub Lege, sed sub Gratia: *Rom.*6.4.

Qu. *An adventus Christi ejusque Gratia majorum est virum, quam Lex, ad extinguendum peccatum & homines perfectos faciendum? Quomodo Scriptura hac de re loquitur?*

R. Quæ Legis erat impotentia, quum viribus esset destituta in carne, Deus suo ipsius Filio misso in forma consimili carni peccato obnoxiæ, idque pro peccato, condemnavit peccatum in morte. Ut jus illud Legis compleatur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum Spiritum. *Rom.* 8.34.

Nihil enim consummavit Lex; sed superintroducta spes portior, per quam appropinquamus Deo: *Heb.*7.19.

Qu. *Hoc pacto, cum Paulus dicit:* Cerno aliam legem in membris meis belligerantem adversus legem mentis meæ, & captivum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis. Ærumnosus ego homo: quis me eripiet ex isto corpore mortis!

non

non eſt cur putemus ipſum hæc de ſe dicere quatenus ſub Gratia exiſtat, ſed quatenus perſonam repreſentet hominis ſub Lege conſtituti. Quid igitur habes quod ex ſequenti diſcurſu allegare poſſis ad probandum Paulum, poſtquam Chriſti Evangelium recepit, non amplius extitiſſe ſub ærumnoſa hac captivitate peccati ac mortis? Quid ipſe dicit ſtatim poſt triſtem illam querimoniam, Ærumnoſus ego homo: quis me eripiet ex iſto corpore mortis! *unde appareat ipſum, poſtquam ſemel nomen Chriſto dediſſet, à morte fuiſſe liberatum?*

R. Gratias ago Deo per Chriſtum Dominum noſtrum: *Rom. 7. 25.*

Qu. *Quid paulò poſt idem dicit, unde appareat, ipſum, poſtquam ſemel Chriſtianus evaſit, non minus à peccato quàm à morte fuiſſe liberatum?*

R. Lex Spiritûs vitæ, in Chriſto Ieſu, liberavit me à lege peccati & mortis. *Rom. 8. 2.*

CAP. VII.

De Mandatis atque adeò de Charitate in Deum & Homines.

Quæſt.

Quid boni oportet quem facere ut habeat vitam æternam?

R. Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata: *Mat.* 19. 7.

Qu. *Quænam?*

R. Non occides; Non mæchaberis; Non furaberis; Non dices falſum teſtimonium. Honora Patrem & Matrem; Et, diliges proximum tuum ut teipſum. *Mat.* 19. 18, 19.

Qu. *Quodnam eſt magnum in Lege mandatum?*

R. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua. Hoc eſt primum & magnum mandatum: *Mat.* 22. 37, 38.

Qu. *Quodnam eſt ſecundum mandatum quod ſimile ſit huic?*

R. Diliges Proximum tuum ut teipſum: *Mat*, 22. 39.

Qu.

Qu. *An hæc duo mandata ſunt ſumma reliquorum?*

R. Ab iſtis duobus mandatis tota Lex & Prophetæ pendent. *Mat.*22.40.

Qu. *Annon Chriſtus novum hiſce addidit in Evangelio mandatum? quid ipſe ſuis Diſcipulis hac de re dicit?*

R. Præceptum novum do vobis, Ut alii alios diligatis, ſicut ego dilexi vos. *Johan.* 13. 34.

Qu. *Videtur ergo nos oportere fratrem diligere pluſquam nos ipſos. An hoc ita eſſe planum facere potes?*

R. Nos debemus pro fratribus animas deponere. 1 *Joh.* 3. 16.

Qu. *Hoc ſanè eſt fratres pluſquam nos ipſos diligere, animas, inquam, noſtras deponere ut eorum ſervemus. An Chriſtus tali modo nos dilexit?*

R. Ille animam ſuam pro nobis depoſuit. 1 *Ioh.*3. 16.

Qu. *Qua in re conſiſtit Charitas in Deum?*

R. Hæc eſt Charitas Dei, ut præcepta ejus ſervemus. 1 *Ioh.*5.3.

Qu. *Atqui nonne illa ſunt minis gravia ſervatuquè impoſſibilia?*

R. Præcepta ejus gravia non ſunt: 1 *Iohan.* 5. 3.

Qu. *An nos Deum noſtra ipſorum ſponte diligimus, an quia ſua nos ipſe Charitate prævenit?*

R. Nos diligimus eum, quonium ipſe prior dilexit nos. 1 *Ioh.* 4. 19.

Qu. *Quâ in re ipſius eſt facta manifeſta Charitas?*

R. In hoc manifeſta facta eſt Charitas Dei in nos, quod filium illum ſuum unigenitum miſit in mundum, ut vivamus per eum. 1 *Iob.* 4. 9.

Qu. *An quis poteſt diligere Deum, & tamen tantum abeſt ut vitam ſuam pro fratre ponat, ut nolit ipſi egenti ſuccurrere, quamvis habeat unde id facere poſſit?*

R. Qui habuerit mundanum victum & viderit fratrem ſuum cui aliquo ſit opus, & clauſerit viſcera ſua coram eo, quomodo charitas Dei manet in eo? 1 *Joh.* 3. 17.

Qu. *An Charitas fraterna argumento ſeu indicio nobis ipſis eſt nos hæredes eſſe vitæ?*

R. Nos ſcimus nos tranſlatos eſſe ex morte ad vitam, quia diligimus fratres. 1 *Johan.* 3. 14.

Qu. *An*

Qu. *An non eadem argumento omnibus eſt, nos Chriſti Diſcipulos eſſe, atque adeo infallibilis veræ Eccleſiæ nota ab ipſo Chriſto aſſignata? Quomodo ipſe loquitur hac de re?*

R. Ex hoc omnes cognoſcent vos eſſe Diſcipulos meos, ſi Charitatem habueritis alii in alios. *Joh.*13.35.

CAP. VIII.

De Fide.

Quæſt.

Quot ſunt genera Fidei, communis omnibus Chriſtianis, per quam ipſi evadant Filii Dei?

R. Una Fides. *Eph.*4.4.

Qu. *Quid hæc Fides eſt? quid de ea Paulus Apoſtolus ad Chriſtianos ſui temporis loquitur?*

R. Omnes Filii Dei eſtis per fidem in Chriſto Ieſu. *Gal.*3.26.

Qu. *Quî loquitur Johannes Apoſtolus?*

R. Quiſquis credit Ieſum eſſe Chriſtum illum, ex Deo genitus eſt. 1 *Joh.*5.1.

Qu. *Quum Scriptura adeò honorabile te-*

R. Præcepta ejus gravia non ſunt: 1 *Iohan.* 5. 3.

Qu. *An nos Deum noſtra ipſorum ſponte diligimus, an quia ſua nos ipſe Charitate prævenit?*

R. Nos diligimus eum, quonium ipſe prior dilexit nos. 1 *Ioh.* 4. 19.

Qu. *Quâ in re ipſius eſt facta manifeſta Charitas?*

R. In hoc manifeſta facta eſt Charitas Dei in nos, quod filium illum ſuum unigenitum miſit in mundum, ut vivamus per eum. 1 *Iob.* 4. 9.

Qu. *An quis poteſt diligere Deum, & tamen tantum abeſt ut vitam ſuam pro fratre ponat, ut nolit ipſi egenti ſuccurrere, quamvis habeat unde id facere poſſit?*

R. Qui habuerit mundanum victum & viderit fratrem ſuum cui aliquo ſit opus, & clauſerit viſcera ſua coram eo, quomodo charitas Dei manet in eo? 1 *Joh.* 3. 17.

Qu. *An Charitas fraterna argumento ſeu indicio nobis ipſis eſt nos hæredes eſſe vitæ?*

R. Nos ſcimus nos tranſlatos eſſe ex morte ad vitam, quia diligimus fratres. 1 *Johan.* 3. 14.

Qu. *An*

Qu. *An non eadem argumento omnibus est, nos Christi Discipulos esse, atquè adeo infallibilis veræ Ecclesiæ nota ab ipso Christo assignata? Quomodo ipse loquitur hac de re?*

R. Ex hoc omnes cognoscent vos esse Discipulos meos, si Charitatem habueritis alii in alios. *Joh.*13.35.

CAP. VIII.

De Fide.

Quæst.

Quot sunt genera Fidei, communis omnibus Christianis, per quam ipsi evadant Filii Dei?

R. Una Fides. *Eph.*4.4.

Qu. *Quid hæc Fides est? quid de ea Paulus Apostolus ad Christianos sui temporis loquitur?*

R. Omnes Filii Dei estis per fidem in Christo Iesu. *Gal.*3.26.

Qu. *Quî loquitur Johannes Apostolus?*

R. Quisquis credit Iesum esse Christum illum, ex Deo genitus est. 1 *Joh.*5.1.

Qu. *Quum Scriptura adeò honorabile te-*

stimonium perhibet de fide, nempè, quod Filii Dei simus, justificemur, servemur per eam, qualem fidem intelligit?

R. Fidem per Charitatem operantem: *Gal. 5. 6.*

Qu. *An opera vim vitamque Fidei dant, reddendo illam ad justificandum servandumque idoneam?*

R. Fides, si opera non habeat, mortua est per se. —Nàm sicut corpus absque spiritu mortuum est, ita & fides illa quæ *est* absque operibus mortua est. *Jac. 2. 17, 26.*

CAP. IX.

De Ecclesia.

Quæst.

Quomodo se Christus habet ad Ecclesiam, Ecclesiaque ad ipsum?

R. *Ipse* est *Caput Corporis*, Ecclesiæ: *Col. 1. 18.*

Qu. *Quot hujusmodi corpora habet Christus?*

R. Unum Corpus. *Eph. 4. 4.*

Qu.

Qu. *Quibuſnam Eccleſiæ tribuit appellationem Scriptura?*

R. Sanctificatis in Chriſto Ieſu, vocatis Sanctis. *1 Cor. 1. 2.*

Qu. *Super quid Eccleſia eſt ædificata?*

R. Super fundamentum Apoſtolorum ac Prophetarum, exiſtente imo angulari lapide ipſo Ieſu Chriſto. In quo totum ædificium congruenter coagmentatum, creſcit, ut ſit Templum Sanctum Domino. *Eph. 2. 20, 21.*

CAP. X.

De Reſurrectione Mortuorum, & de Ultimo Judicio.

Quæſt.

Q. *Uiſnam ultimo illo die judicabit de occultis hominum?*

R. Deus. *Rom. 2. 16.*

Qu. *Per ſe an per aliquem alium?*

R. Per Ieſum Chriſtum. *Rom. 2. 16.*

Qu. *Videtur hinc Chriſtum non eſſe Deum ipſum, ſed alium qui ordinatus à Deo ſit ad mundum judicandum. Quid igitur Petrus ſibi*

una

una cum cæteris Apostolis dicit esse mandatum à Christo ut prædicent ac testentur hæc dere?

R. Mandavit nobis, ut prædicemus populo, & testemur ipsum esse, *qui definitus sit à Deo Judex vivorum & mortuorum.* Act. 10. 42.

Qu. *Quemadmodum Christus suscitabit mortuos in suo ad mundum judicandum adventu?*

R. Veniet hora, qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus. Et prodibunt. *Iob.* 5. 28, 29.

Qu. *In quem statum seu conditionem?*

R. Qui bona fecerint, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerint in resurrectionem condemnationis. *Iob.* 5. 29.

Qu. *An ergò Justi intrabunt in vitam propter opera sua bona inter quæ primum ordinem ducant opera charitatis erga Christum in Sanctis ipsius egestate ac miseriâ pressis? quid illis dicturus est Christus in resurrectione?*

R. Adeste benedicti Patris mei, possidete Regnum paratum vobis à jacto mundi fundamento. Esurivi enim et dedistis mihi quo vescerer: sitivi et dedistis mihi potum:

potum: hoſpes eram & collegiſtis me: Nudus, & amiciviſtis me: Ægrotavi & inviſiſtis me: in carcere eram, & veniſtis ad me; *Mat.25.34,35,36.*

Qu. *An improbi è contrario ad ignem infernalem damnabuntur propter malefacta ſua inter quæ actus omiſſi charitatis erga Chriſtum in ipſius Sanctis miſerè agentibus principem obtineant locum? quid ipſis quoque in reſurrectione Chriſtus eſt dicturus?*

R. Exſecrati, abite à me in ignem æternum qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus. Eſurivi enim & non dediſtis mihi quo veſcerer: ſitivi & non dediſtis mihi potum: hoſpes eram, & non collegiſtis me: nudus & non amiciviſtis me: ægrotus & in carcere *eram*, & non inviſiſtis me. *Mat.25.41,42,43.*

Qu. *At ſiquis perſuadère tibi conaretur impios conjectum iri in ignem infernalem ob rationem aliquam magis ſecretam, & non ob malefacta ſeu opera prava, qualia ſunt avaritia, fornicatio, impuritas & iſtis ſimilia: quid ei reſponderes?*

R. Nemo vos ſeducat inanibus ſermonibus: propter hæc venit ira Dei in homines contumaces. *Eph.5.6.*

Qu.

Qu. *Quamobrem Deus ordinavit Chriſtum ad ſuſcitandum mortuos, & non ipſemet potius ſuſcitaturus eſt eos?*

R. Quia enim per hominem mors, per hominem quoque reſurrectio mortuorum. 1 *Cor.* 15. 21.

Qu. *Quomodo ſuſcitabuntur mortui in Chriſto, & quali prodibunt cum corpore? quomodo Paulus loquitur hac de re?*

R. Quod tu ſeris non viviſcit niſi mortuum fuerit: Et quod ſeris non corpus oriturum ſeris, ſed nudum granum, ſi caſus tulerit, tritici, aut alicujus ex reliquis. Sed Deus ei dat corpus ut voluit, & ſingulis ſeminibus ſuum corpus. —Ita et reſurrectio mortuorum eſt: ſeritur cum corruptione, ſuſcitatur cum incorruptione: ſeritur Fœdum, ſuſcitatur cum gloria; ſeritur omnium virium expers: ſuſcitatur potens: ſeritur corpus *animale*, ſuſcitatur corpus *ſpirituale*. 1 Cor. 15. 36, 37, 38, 42, 43, 44.

Qu. *Curnam oportebit illud eſſe corpus ſpirituale & non carneum? cur non illud idem corpus quod corruptum ante fuerit?*

R. Caro et ſanguis non poſſunt Regni Dei hæreditatem conſequi: neque corruptio

ptio hæreditatem incorruptibilitatis consequetur. 1 *Cor.* 15. 50.

Qu. *An non igitur Christus, qui hæreditatem Cœli & incorruptibilitatis consequutus est, spirituale corpus nunc habet, quamvis eum carnea quod ante habuit corpore resurrexit, quò cum discipulis conversari posset, illique non solùm ipsius ferre conspectum sed etiam citra omnem erroris aleam certi evadere possent, illum ipsum esse & non alium qui ejus appareret loco? quid Paulus hâc de re dicit?*

R. Factus est posterior Adamus spiritus vivificus. 1 *Cor.* 15. 45.

Qu. *An simul consistere nequeunt esse spiritum & habere corpus carneum?*

R. Spiritus carnem et ossa non habet. *Luc.* 24. 39.

Qu. *At si ita se res habet, ut nulli nisi Spiritus, atque adeo tales qui corpus habeant spirituale, Regni Cœlorum possint hæreditatem consequi, quemadmodum nos, qui ultimo illo die vivi carneque inducti erimus, reddemur idonei ad consequendum hæreditatem istius Regni?*

R. Omnes mutabimur momento, et ictu oculi, ad ultimam tubam. Canet enim

tuba.

tuba.—Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptibilitatem, et mortale hoc induere immortalitatem. *1 Cor.* 15. 51, 52, 53.

Qu. *Quidnam eveniet nobis qui vivi erimus, & Sanctis qui mortui reperientur, ultimo illo die, poſtquam nos quidem mutati fuerimus, illi vero reſuſcitati incorruptibiles?*

R. Nos vivi, qui reliqui erimus, rapiemur ſimul cum eis in nubes, in occurſum Domini in aëra; et ita ſemper cum *Domino* erimus. 1 *Theſſ.* 4. 17.

Qu. *Quonam in loco Sancti ſunt ſemper futuri cum Domino Deo?*

R. *Ipſe* paravit eis Civitatem. *Heb.* 11. 16.

Qu. *Quo nomine venit iſthæc Civitas?*

R. Novæ Hieruſalem. *Apoc.* 3. 12.

Qu. *An Nova Hieruſalem in Cœlo ſemper remanebit an verò eſt inde deſcenſura? Et an terra, in quam & deſcenſura eſt, eadem cum hac erit, an verò nova terra quam facturus ſit Deus? Quid Johannes ille Theologus de deſcenſu glorioſæ hujus Civitatis, (ſibi in viſione, poſtquam modum ultimi Judicii vidiſſet, oſtenſæ,) deque Sanctis, qui in ea cum Deo ſunt habitaturi, dicit?* R.

R. Vidi Cœlum novum & Terram novam: primum enim Cœlum & prima Terra abierat; & Mare non amplius extabat. Et ego Johannes vidi Sanctam illam Civitatem Hierusalem novam, descendentem à Deo è Cœlo paratam, ut Sponsam ornatam Viro suo. Et audivi vocem magnam è Cœlo, dicentem; Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populi ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit, Deus ipsorum. *Apoc.* 21. 1,2,3.

FINIS.

Soli sapienti Deo gloria per Iesum Christum in secula. Amen. Rom. 16. 27.

ORATIVNCULA DE Passione & Morte Christi.

Erba ad vos facturus, A. Præstantissimi; quos veritas quidem odio hominum exposuit, charitas tamen mutua perpetuis nexibus colligavit; nihil huic loco magis conveniens, nihil huic tempori magis accommodatum reperi, quod vel mea qualicunque commemoratione, vel vestra accuratiori consideratione dignum videatur, quàm *Servatoris nostri Iesu Christi*, unigeniti illius Dei Filii, *Passiones gravissimas mortemque acerbissimam*, quam is causa generis humani, abalienati à Deo, occupati à Satana, atque ita in Cimmeriis ignorantiæ

tenebris ipsaque mortis ob peccatum umbra versanti, libens lubensque toleravit. Inde enim non tantum ipsius Christi, sed etiam idque vel maximè Patris ejus, & per eum nostri, Dei, inquam, illius bonitatis inexhaustæ, benignitatis immensæ, misericordiæ inexplicabilis, erga genus humanum, miserum jam planeque perditum, amor infinitus se conspiciendum exhibuit: Inde Pactum Dei Fœdusq; illud æternum, quod per eundem Iesum Christum nobiscum pepigit iniitque robur acquisivit: inde Iesus ipse amplissimam illam gloriam, ut & Sacerdos & Rex Cœlestis esset, sacra testante pagina consequutus est. Hæc dum commemoro, A. Præst. tantus me abripit æstus, ut, quod dicendum proposui, vix ordiri queam, *Passiones*, inquam, *mortemque Servatoris nostri Iesu Christi*, quæ & vobis speculo esse debet, in quo amoris *Dei*, *Christique* magnitudinem amplius multo quam usquam alibi seu contemplemini sive admiremini: ordior tamen vestra æquitate fretus, remque ad umbilicum ea qua potero brevitate deducam. Vos interim etiam atque etiam precor ad ea quæ dicturus sum

aures

aures atque animum advertere haud abnuatis. Non autem hîc ipsam Christi paupertatem commemorabo, non famem, non sitim, non vigilias perpetuas, non labores itineris, quos sanandæ servandæq; Gentis Judaicæ causa, postquam Cœlesti cum mandato missus in mundum est, & juges & duros sustinuit atque toleravit: non crebras cum suis luctas Adversariis, quos in caput innoxium livor & invidia diversis temporibus locisque diversis hostiliter armavit: non impias larvatorum blasphemias hominum sectæ Pharisaicæ: non Scribarum populiq; calumnias, quibus sæpe passim indignissimè petitus lacessituſque fuit. Has & alias mille malorum laborumque formas haud in præsens enumerabo. Præludia siquidem erant levicula nec non umbræ tenues eorũ, quæ non ita multo post ingratitudo seculi, ausis crudelibus instar diluvii erat in ipsum effusura. Tristis igitur isthæc ac tragica, quam occepimus, tela, inde ab ultimi duntaxat comestione Paschatis, atque ab Eucharistiæ sacratissimi ritûs institutione texenda nobis est atque pertexenda. Scilicet eadem fatali vesperâ eâdemque nocte, quâ

& hoc & illud rite peractum, quaque idem Salutis reparator Iesus, lectissimo stipatus Discipulorum Choro, in ipsum Olivarum montem, in consuetum trans torrentem Cedron Gethsemanes hortum egressus fuerat, eadem, inquam nocte cum gravioribus istis cæpit luctari malis, in quibus omnibus ultima ejus Passio morsq; consistebat. Quid enim? Nonne ipso statim in horto mœror gravissimus ex eorum, quæ jam impendebant, ferendorum ortus consideratione malorum, cor ipsius quantumvis alias salutis humanæ sitientissimum mortis quasi vinculis constringit, atque acerbissimis dolorum spiculis transverberatum affligit? Affligit omnino, & affligit adeo, at non solum guttæ sudoris magnitudinis insolitæ ceu grumi sanguinis ejus de sanctissima devolvantur facie, sed etiam Angelico ex amore Patris egeat solatio. Consolatus autem animum resumit seque ipsum ad cætera, generosi instar atque victoris Athletæ, præmunit. Ad paratum igitur stantemque in procinctu Iesum sceleratus transfuga proditorque Judas, impio stipatus satellitio, satellitio inquam feralibus gladiis dirisque armato fustibus

ſtibus male comitatus, velut execrandam generis humani peſtem, latronem, graſſatorem, publicæque violatorem pacis, properus advenit. Itane verò Judas vilis argenti truciſq; mancipium Satanæ gradum huc moliri præſumis? Itane humani delicias generis, ſpem Patriarcharum, Cœleſtem æterni Legatum Numinis, ipſumque Orbis reſtauratorem proditurus auſis advolas pudendis? Itane veſani turbidique milites, nefandi ſceleris miniſtri, impium comitari ductorem haud exhorreſcitis? Nempe hora hæc eſt veſtra triſtiſque tenebrarum poteſtas! Ergo ſceleratus Magiſtrum mitem atque innoxium cujus innocentiſſimam ad extrema uſque tueri debebat cauſam, oſculo prodit nefario Judas! Ergo divinum Cœleſtis Sapientiæ Doctorem, quem in Synagogis ſine cujuſquam injuria ſalutis narrantem oracula ipſi non ſemel audiverant Judæi, ad propudioſum parati facinus comprehendũt milites, comprehenſũ vinciũt vinctum ad Annam rapiunt! Atqui mirandum hic ſtatim atque venerandum in Ieſu, qui ſolo quondam juſſu furentis Maris, barbari illius elementi, tempeſtates ſedabat,

nunc autem nudo duntaxat responso, quod Iesus qui quæreretur Nazarenus esset, armatos Judæ socios, veluti quodam fulmine percussos, humi prosternere poterat, summæ demissionis emicuit exemplum. Verùm majora adhuc restabant gravioraque mala, quibus & patientia ejus exerceri & hæc demissio illustrari debebat. Annas erga vinctum ad Caiapham mittit Pontificem Judæorum ejus anni maximum. Cogitur Concilium, producitur Iesus, examinatur. Nulla culpa, nullum crimen. Hoccine siquidem crimen esse poterat, quod se Filium fateretur Dei? At hoc sanctissimâ doctrinâ atque miraculis omnino stupendis satis superque dederat evictum. Quid ergo? oneratus calumniis, mulctatus verberibus, expositus ludibrio, examine vexatus atque dirissimæ neci destinatus ad Provinciæ Præfectum Pontium Pilatum deducitur. Sistitur coram tribunali. Triplici accusatur nomine. Nempe quod & *Judaicam perverteret gentem*, & *Cæsari persolvi tributa vetaret*, & *se Christum Regem profiteretur*. At ultimum isthoc inique aliò detortum, ad accusandum non adeo caput illud innoxium

quàm

quàm excusandum valere debebat, quemadmodum etiam ad hoc magis quàm illud coram Præside valuit. Postquam enim quæsitus num Rex esset Judæorum, quemadmodum populares eum accusabant, præclaram illam de se, quam et ipse Gentium commendavit Doctor, coram multis testibus edidisset confessionem, dignus est repertus quem ab omni crimine Pilati sententia prorsus absolveret, Pilati, inquam, dicentis: *Ego nullum in eo crimen invenio.* Quid vero priora? Erant prorsus indigna, prorsus falsa, prorsus pudenda atque atrocissimæ prorsus plena calumniæ. Quid enim? Gentemne Judaicam Iesus Præco pœnitentiæ doctrinæque Sanctioris pervertere quærebat? Suosne turbatum ne dicam perditum ibat populares, quos ex ipsissimo animo cupiebat Servatos? Quid inquam? Cæsarine tributa negavit pendenda? Atqui profecto contrarium ex illa insigni sententia patet: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Nempe innocentia dulcissimi justissimique Iesu usque adeo hîc etiam luculenter effulsit, ut nec accusantium pravis calumniis, nec gravi quæsitorum

labore, malorum tamen teſtium falſis ſuffragiis quiverit obſcurari. At ecce ex altera parte, atrox accuſantium impietas caput ſublimius extollit: accenſum feralibus inferni facibus odium populi acriores concipit flammas, atque meditatum jam pridem conceptumque ſcelus ſcelerum ſceleratiſſimum eniti enixumque properat in Orbis producere theatrum. Electione pudenda Latronem innocenti præfert. Illum quamvis mortis reum, peſtem generis humani dimittendum cupit. Hunc quamvis nihil commeritum mali, malorum tamen molitur opprimere cumulo. Poſtulat Agnum mactari mitiſſimum: dulcem Ieſum, Patris delitias, divitias mortalium ſuffigendum cruci, ligno infelici ſummâ virium vociſque contentione clamitat. Non eſt ſatis eum, non eſt ſatis immerito fuiſſe comprehenſum! non huc atque illuc impiè raptatum! non acribus vexatum examinibus! non gravibus oneratum contumeliis! non verberibus mulctatum! non his omnibus *Invidia* non livor maleſanus expleri poteſt! Quid ergo? Hem proloqui pudet, proloqui tamen oportet, nam taceri nequit, quod Sole

vidente

vidente ac tremente geritur. Nempe tandem, quod scilicet quærebant, quod votis exoptabant, quod omni moliebantur arte truculentissimi hostes, tristissimus his omnibus succedit colophon, actumque memorandum seculis dirissimum atq; plus quam tragicum excipit spectaculum. In locum Calvariæ Hebræis dictum Golgotha Iesus educitur: convitiis laceratur, spoliatur vestibus atque maledicto suffigitur ligno. Viles olim animæ, mancipia, servi, qui vel Dominorum vitæ salutique insidiati fuissent, vel famam labe aliqua asperfissent, vel alio se scelere graviori obstrinxissent, crudeli huic apud Romanos & id quidem adeo contemptim addicebantur supplicio, ut *servilis supplicii* nomine, quoties id priscos apud Authores memoratum legimus, ipsa *Crux* merito veniat capienda. Rarissime huc alii, & forte, si veterum monumentis credimus, vel viliores liberi atque Provinciales servilem præse capillum ferentes, quos aut latrocinium, aut sicariatus, aut crimen falsi reos constituisset, vel etiam ipsi Rei turbatores publicæ regnique affectati crimine notati Romanis trahebantur legibus. Quæ ideo

A. Præst. commemoro, ut quanto magis eximia, quanto magis illustris Iesu Servatoris erat innocentia, tanto malitia Judæorum immedicabilis, nec ullis unquam silenda sæculis fœda crudelitas apertius sese protracta in scenam vestris conspiciendam atque detestandam exhibeat oculis. Verùm enimverò nondum hîc Orationis quæro filum abrumpere, nondum rem satis explicatam, si tamen lingua mortalis eam satis explicare possit, exhibui, nondum ad eum quem præfixi scopum perveni: sudandum adhuc aliquid atque laborandum restat. Nempe æquum non minus quam necessarium est, ut & in brevem eorum quæ jam dixi summam reductione, & quæ dicenda supersunt compendiosa memoratione, quanta isthæc malitia quantaque crudelitas Iesu populariu fuerit, quamque indignis vel ausis vel actibus dederit occasionem, accuratius vestris repræsentem animis. Quid enim? Ullumne seu genus sive sors mortalium Hierosolymis fuit, unde non ad tristissimum Iesu Passionis cumulum aliquid accesserit? ullane forma vel si mavis figura malorum, quibus malesanum istud & sterile

virtutis

virtutis seculum immane quantum luxuriabat, ei vos appello defuit? Quid? Equidem ne ipsi quidem Discipuli, dilecta Christi familia, immunes à criminis labe hîc existunt. Nonne enim Judas, mala illa mens malus animus eum vilissimo vendit æstimatum pretio? Nonne Petrus, qui suam adeo jactabat constantiam, ut vel ad moriendum cum ipso se clamitaret paratum in ipsa Pontificis ter abnegat Aula? Nonne etiam cæteri Panico perculsi terrore in diversum fugâ dilabuntur atq; dulcẽ deserunt Magistrum? Nempe hîc impletum quod divinus olim prædixerat vates: *Percutiam Pastorem & dispergentur oves:* Sed major in aliis atrociorque noxia. Quid Pontifex Judæorum summus? Fervet odio, frendet irâ veraci & innocenti Magistro atrox blasphemiæ crimen imponit. Quid Populus? Ceu actum turbidis mare tempestatibus furit, ringitur, non conquiescit donec libidinem animumq; crudelem sceleribus expleat infandis. Senes capulo vicini, juvenes pravorum progenies parentum, viri, fœminæ, magni, parvi, omnes, idem spirant, idem captant scelus, idem movent, idem promovent

movent nefas. Quid milites improbi? Curſant atque recurſant æſtro furoris perciti veſano. Nuſquam minus quàm hîc ſegnes, nuſquam minus quàm hîc immoderati: imò nuſquam magis quam hîc crudeles, temerarii, impii. Quid cætera profanæ multitudinis caterva? Gaudet, lætatur, tripudiat. Omnes, inquam, tendunt eodem, imo præcipites ruunt: omnes eodem ſcelerato flagrant deſiderio oculos paſcendi crudeles impio ſpectaculo. Quid inquam? Ullane pars Ieſu ullumne membrum quod malorum ſenſu non divexetur? Nonne metus, ſollicitudo, mœror animum affligit? Nonne totum corpus à vertice ad calcem flagrorum vibices implent? Quid? Nonne caput illud ſacratiſſimum, quod beatæ mulier memoriæ dignum cenſuerat, cui precioſum nardi liquidæ fracto alabaſtro infunderet unguentum, ſpinea pungenteque redimitur corona? Nonne facies illa Sanctiſſima, quæ in monte, Itabyrio ſcilicet, ut vetus habet traditio, in illa memorabili transfiguratione non aliter quam Sol, decus Univerſi, fulſerat, putidiſſimis impiorum fœdatur ſputibus? Nonne oculi, benigniſſima

nigniſſima illa lumina, quibus ſæpe ſæpius, quoties videlicet occaſio tulit, in afflictos reſpexit, atque adeo & cerebrum, continuis exhauriuntur deficiuntque vigiliis? Nonne aures illæ paratiſſimæ ad preces malis preſſorum admittendas aculeatis improborum calumniis, probris, convitiis, impetuntur, opplentur? Nonne teneri graviſſimo execrandæ crucis onere miſerandum in modum aggravantur humeri? Nonne & pedes in cruce, quibus longiſſima latiſſimaque terrarum ſpatia juvandorum cauſa mortalium perambulaverat, & manus exoptatiſſimæ, quibus in complures ampliſſima contulerat beneficia, doloriferis tranſfiguntur clavis? Nonne plena illa divinitatis & omni ſuavitate ſuavior lingua, quâ Cœleſtis oracula Patris ſaluti feramq; mortalibus loquebatur doctrinam, amarulentiſſimo excruciatur liquore? Nonne latus tandem, ceu ultimum, quod ultimo, ultimam exciperet plagam, diriſſima in cor uſque perfoditur haſtâ, perfoſſum aperitur, apertum purpurei ſanguinis effundit rivum, crucem & ſubjectam irrigantem terram? O infandam gentis Judaicæ cæcitatem!

tatem! O invidiam nullis medicandam remediis! O barbariem pluſquam barbaricam! O crudelitatem ipſa crudelitate crudeliorem! ſiccine modis tractatis iniquis, qui veſtram Salutem ardentiſſimis ſitiebat votis? ſiccine maledicto ſuffigitis ligno, quem promptiſſimis debebatis excipere manibus, ulnis amplexari, labiis oſculari? ſiccine itis & medio ſublatum cujus ſacratiſſimum noctes atque dies operæ pretium erat audire ſermonem, juſſa capeſſere, exemplum ſequi? ſed ô nefas omnem humanitatem atrox malitia vincit, conculcat, peſſundat! Nempe jam executi eſtis dirum quod animo conceperatis conſilium! Nempe jam immaculatum illum mitiſſimumque ad profanum protraxiſtis tribunal, condemnaſtis atque mactaſtis agnum! Nempe jam toto ducitur funus funeſtiſſimũ Orbe! Natura ipſa ſceleris horret atrocitatem. Mundi turbantur elementa: Sol ſiderûm Princeps luxque Planetarum fulgentiſſimos colligit radios, pulcherrimam illam atque lætificantem omnia faciem atra tectam caligine Orbi ſubducit indigniſſimo. Terra ſuis mota ſedibus immane quantum commovetur.

Rigi-

Rigidissimæ concutiuntur Petræ, concussæ dissiliunt. Velum sacratissimi finditur templi. Monumentorum aperiuntur clauſtra. Prodeunt sanctorum qui dormierant corpora. Ita Deus universi arbiter dulcissimiq; Pater Iesu, & quanta Filii innocentia sui, & quam nefanda Judaicæ Gentis impietas esset, istis omnibus indiciis, & multis, & magnis, & claris ostendit; sed quamvis ingratissimi profanissimiq; mortalium Judæi omne virus acerbitatis atque crudelitatis suæ in innoxium effunderent caput, *impedire* tamen haud potuerunt ne salutari omnia terminarentur corrigerenturque fine. Hinc Cœlestis *veritas*, quemadmodum jam dixi, testimonium accepit. Hinc impedimenta & prætextus omnes, quibus impediri tardarique *mortales* potuissent, ne vel salutis ingrederentur viam, vel ingressam alacriter emetiri contenderent, *submoti* sunt atque sublati penitus. Atque adeo *hinc* immensa & Dei, & Christi erga genus mortalium *emicuit Charitas*. O felices igitur centies ac millies illos, qui ad hanc veritatem oculos aperiunt! O felices centies ac millies illos, qui nihil antiquius sibi nihil illustrius

strius agendum statuunt, quam ut certissimam hanc salutis viam, à Christo nobis dedicatam, *constantibus decurrant pedibus*. O felices centies ac millies illos, qui hunc ineffabelem, & Dei & Christi erga nos amorem, nocteſque dieſque grato recolunt animo; Hinc enim ardor ille ferventiſsimus, atque Cœleſtis in talibus incenditur ignis, cujus clariſsima luce *mentis diſpelluntur tenebræ*, cujus benigniſſimo calore dura emolliuntur ac liquefiunt corda, cujus flammis ſalutiferis *omnes* malorum affectuum carniſque cupiditatum amburuntur ſcoriæ. Et hæc quidem hâc vice, Auditores Lectiſſimi, amici præſtantiſſimi, memoranda duxi ut vos etiam partes veſtri melius officii intelligeretis, ut vos etiam *in his omnibus libenter animis* maneretis defixi, ut vos etiam ampliſſima illa beneficia, quæ Deus per Ieſum, Filium ſuum unigenitum, tamdiræ, tam atroci traditum morti, miſeris mortalibus obtulit, properis arriperetis manibus, atque debitam pro iis gratitudinem veſtram ſemper & ubique *faceretis* teſtatam.

Dixi

NATHANIEL S TUCKEY.

Exemplum Literarum

Jeremiæ Felbingeri ad *Johannem Biddellum.*

VIRO

Reverendo, Clarissimo, ac Doctissimo, Domino *N. Biddellio, &c.* Amico meo Venerando.

GRatiam & pacem à Deo Deorum, qui unus est Dominus; & Iesu crucifixo, quẽ fecit Dominũ ac Christum, animitus precor Tibi, Reverende Clarissime & Doctissime Domine, Frater in Christo dilecte. Pervenit ad aures meas fama de tua in re-

bus fidei Christianæ ſinceritate & conſtantia; necnon inſigni erga DEUM ejuſque Chriſtum fide ac charitate, quibus permotus veritatem divinam à ſcoriis humanarum traditionum purgatam etiam aliis, & quidē publicè, manifeſtare non dubites. Nimirum quod Dominus Tibi concredidit talentum haud ſub terra defodi ſed indies plura lucrari debet. O nuncium piis & gratum & jucundum! Dum nos & alii in oris Sarmaticis pro Dei & Chriſti gloria pugnamus, Deus ſubinde hominibus à nobis remotiſſimis fideles ſuæ veritatis præcones excitat. Perge ſic, Clariſſime Vir, non Angliæ ſolùm & finitimis provinciis, ſed etiam novo orbi (quem Angli frequentes adeunt) pandere, quantis in tenebris cum doctrinæ tum operum gens Chriſtiana dicta verſata ſit & adhuc verſetur, & quàm infandis modis, veritatem Cœleſtem ejuſq; profeſſores hactenus perſequatur. Cæterum quicquid tandem Adverſarii moliantur, tamen verum manebit; Unum eſſe DEUM, eumque unum Dominum vel Perſonam, non plures: ſolum DEUM Izraëlitarum eſſe DEUM Altiſſimum, Creatorem hujus viſibi-

visibilis Cœli & Terræ: solum Patrem Domini nostri Iesu Christi esse DEUM Izraëlitarum; qui à nullo præordinatus, nec factus, nec genitus, nec electus, nec sanctificatus, nec missus, nec obediens alicui factus, nec exaltatus est; qui nullum se majorem habet; præter quem nullus est alius, qui sit à seipso Altissimus, & à quo omnes reliqui sive Dii sive Domini dependent, unde etiam DEUS Deorum dicitur, & DEUS ac Pater Domini nostri Iesu Christi, ejusque caput. Verum manebit, Hominem Iesum, quem Maria Virgo, ex domo & familia Davidis oriunda, è Spiritu sancto conceptum peperit, quem Johannes baptizavit & auditoribus suis monstravit, quem Judæi docentem audiverunt, quem Apostoli oculis suis viderunt, manibus suis contrectarunt, quocum cibum ceperunt, esse Unigenitum ac proprium DEI Altissimi (DEI ipsius, non alicujus Personæ aut Domini in DEO) Filium. Verum manebit, DEUM per hunc Iesum, qui est Sermo DEI, (non Sermonis assumpta Humana Natura eaque propriæ, id est Humanæ, subsistentiæ expers,) prædicatione Evangelii condidisse

novum mundum, hominesque restaurare ac regenerare ad vitam æternam. Verum manebit, ipsum Unigenitum ac próprium DEI Filium esse flagris cæsum, cruci affixum, necatum, de ligno tractum, in monumento positum, tertiâ die à DEO Patre suo ex mortuis resuscitatum, visum à resurrectione sua per multos dies, pòst sublatum in Cœlum, exaltum ad dexteram DEI Patris, accepisse à Patre promissum Spiritum sanctum, esse constitutum à DEO Patre Salvatorem, Christum, Dominum, & Judicem vivorum ac mortuorum. Verum manebit, quod Spiritus DEI sit Virtus, brachium, digitus, & majestas DEI replens Orbem Terrarum: non verò aliquis Dominus à Patre distinctus & separatim subsistens, ac propterea separatim adorandus; & in quem vel separatim credere jubeamur, vel pius quispiam à mundo condito usque ad Apostolorum supplicia crediderit. Verum manebit etiam illud Apostoli non tantum Romanis sed omnibus omnino Christianis dictum: Si secundùm carnem vixeritis, futurum est ut moriamini; sed si Spiritu actiones corporis mortificetis, vivetis.

vivetis. Quotquot enim Spiritu DEI ducuntur, ii sunt Filii DEI, *Rom.* 8. Hæc est sana illa doctrina à Christo & Apostolis jussu magni DEI Patris Domini Iesu in toto Terrarum Orbe prædicata & Divinis Virtutibus ac Miraculis confirmata: cui qui credit & obtemperat absque dubio hæres erit DEI & cohæres Christi. Ne defatigemur igitur, & docere & facere quæ sancta et justa sunt coram DEO nostro: sequamur vestigia Filii DEI, qui non solùm docuit sed semper fecit quæ grata sunt Patri suo Cœlesti: sequamur testem illum fidelem et veracem, qui coram Concilio Judæorum et Præside Romano testatam fecit bonam illam professionem; et morte suâ doctrinam à Patre acceptam obsignans Dominus justus et sanctus pro servis injustis mori non recusavit. Hîc subsisto, et Te Vir Clarissime etiam atque etiam oro, ut mihi statum Religionis verè Christianæ in Anglia benevolè aperias, quidque porrò de exterminandis inveteratis erroribus et ceu postliminio introducendâ veritate divinâ nobis sperandum existimes: facies et mihi et nostratibus omnibus quos Sarmatia

alit, rem gratiſſimam, et habes nos Tibi ad quævis officia grata obſtrictiſsimos. Statum Eccleſiæ noſtræ prope Dantiſcum cognoſcere poteris ex Reverendo Domino Andrea Sandolandio dilectio meo, per quem has literas tranſmitto. Dominus Ieſus ſit nobiſcum, Domine Venerande, &c. in Chriſto Jeſu Frater dilecte.

Dabam Dantiſci, die 24 Auguſti ſtylo vet. Anno poſt natum Dei Filium, 1654.

T. Venerandæ Dignitatis
Studioſiſſimus,

JEREMIAS FELBINGER.

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

ERRATA

ERRATA graviora, sic corrigito.

Pag. 9. lin. 11. *in ipsius locum.* P. 37. l. 25. *secundatus.* P. 60. l. 17. *amicum.* P. 95. l. *ult. resuscitatum.* P. 96. l. 20. *quæ.* P. 99. l. 23. dele *pro.* P. 177. l. 24. pro in nos lege *nobis.* P. 183 l. 15. *quî.* P. 197. l. 25. *furentes.*